

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**In. Epistolas M. Tvllii Ciceronis Qvae Familiares Vocantvr
Pauli Manutii Commentarius**

Manuzio, Paolo

Venetiis, 1579

Argumentum ep. I. lib. XII.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764133)



IN . EPISTOLARVM

M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . DVODECIMVM

AD . CASSIVM . ET . ALIOS

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS



Argumentum ep.I. lib.XII.



*D*OLABELLAE consulis praeclarum facinus laudat : quaeritur , tyranno occiso , tyrannidem tamen sublata non esse : Cassium hortatur , ut una cum M. Bruto remp. omni perturbatione liberet . Antonio , & Dolabella cos .

Cicero S . D . C . Cassio . 1 .



*E*NEM nullum facio , mihi crede , Cassi , de te , & de Bruto nostro , id est de rota rep. cogitandi : cuius omnis spes in vobis est , & in D. Bruto : quam quidem iam habeo ipse meliorem , & a Dolabella meo praeclarissime gesta . manabat enim illud malum urbanum , & ita corroborabatur quotidie , ut ego quidem & urbi , & otio disiderem urbano : sed ita compressum est , ut mihi videamur omne iam ad tempus , ab illo dumtaxat sordidissimo periculo , tuti futuri . reliqua magna sunt , & multa , sed postea omnia in vobis . quamquam primum quidque explicemus . nam , ut adhuc quidem actum est , non regno ; sed rege

liberati videmur . interfecto enim rege , regios omnes natus tuemur : neque uero id solum , sed etiam , quae ipse ille , si uiueret , non faceret , ea nos , quasi cogitata ab illo probamus . nec eius quidem rei finem uideo . tabulae figuntur . immunitates dantur : pecuniae maximae describuntur : exsules reducuntur : s . c . falsa referuntur : ut tantummodo odium illud hominis impuri , & seruitutis dolor depulsus esse uideatur : resp . iacet in his perturbationibus , in quas eam ille coniecit . Haec omnia uobis sunt expedienda ; nec hoc cogitandum , satis iam habere remp . a uobis . habet illa quidem tantum , quantum numquam mihi in mentem uenit optare : sed contenta non est ; & pro magnitudine & animi , & beneficij uestri a uobis magna desiderat . adhuc ultra suas iniurias est per



uos interitu tyranni: nihil amplius: ornamenta uero sic
quae recuperauit an, quod ei mortuo patet, quem uiuum
ferre non poterat? cuius aera referre debebamus, eius
etiam chirographa defendimus? et enim haec decreuimus,
fecimus id quidem temporibus cedentes, quae ualent in
rep. plurimum: sed immoderate quidam, & ingratis co-

stra facilitate abutuntur. Verum haec propediem, et
multa alia coram, interim uelim sic tibi persuadeas, nihil
cum reip. quam semper habui carissimam, tum, amonit
nostri causa, maximae curae esse tuam dignitatem.
Da operam, ut ualeas.

EXPLANATIO



VAM, QUIDEM? sem. PRAECLARISSE GESSA.} Hoc quid sit, ipso
interprete Cicerone cognoscitur. nam Phil. I. Cum serperet in urbe infinitum malum,
idq. manaret in dies latius, iidemq. bustum in foro facerent, qui illam insepultam se-
pulturam effecerant; & quotidie magis magisque, perditii homines, cum sui similibus
seruis, tectis, ac templis urbis minarentur: talis animaduersio fuit cum in audaces, sce-
leratosq. seruos, tum in impuros, & nefarios liberos, talisq. uersio illius execratae
columnae, ut mihi mirum uideatur, tam ualde reliquu tempus ab illo uno die dissen-
sisse. Et ep. 14. lib. IX. & ep. 2. lib. XI. & ad Att. ep. 15. lib. XIV. Tam uero Suetonius, Plebs, inquit,
solidam columnam, prope uiginti pedum, lapidis Numidici, in foro statuit, scripsitq. PARENTI
PATRIAE. apud eundem longo tempore sacrificare, uota suscipere, controversius quidam,
interposito per Caesarem iureiurando, distrahere perseverauit. COMPRESSVM. EST,} quia dixerat,
Manabat, contrarium contrario reddidit: ritem ut ep. 12. ad Att. lib. VII. Orationem illam ita compressi-
ram, ut numquam emanaturam putare. Primus ego locum emendauit, ex uetere Vincentij Riccij libro: cum
in omnibus impressis, Compressa est, legeretur, AB illo dumtaxat} si non ab omni, saltem ab il-
lo periculo.} SORDIDISSIMO} quod ab infima plebe, atque a seruis etiam impendebat bonis uiris,
PRIMUM quidque} tacite hortatur eos contra perturbantem temp. Antonium. quod proxime subie-
cta declarant. INTERFECTO enim rege, regios omnes nutus tuemur:} non acta modo Caesaris, sed
nutus etiam defendimus, id est ea, quae se facturum, leuiter, & uix ostendit. Hoc dicit, quia, quidquid
reperiretur in Caesaris commentarijs, id Antonius consul, aequae ac reliqua illius acta, ratum uolebat esse.
Phil. I. An in commentariolis, & chirographis, & libellis, se uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem,
sed tantummodo dictis, acta Caesaris firma sunt: quae ille in aes incidit, in quo populi iussa, perpetuasq.
leges esse uoluit, pro nihilo habebuntur? Et Phil. 5. Quid ego de commentarijs infinitis, quid de chiro-
graphis loquar? Et Phil. 12. TABULAE figurantur} aereas tabulas in publico figebat Antonius, de-
cretum aliquod Caesaris, aut beneficium continentis: quasi scriptum id reperisset in Caesaris commenta-
rijs, Phil. 5. Decreta falsa uidebat: regna, ciuitates, immunitates in aes, accepta pecunia, iubeat in-
cidi, haec se ex commentarijs Caesaris, quorum ipse auctor erat, legere dicebat. Restituebantur exsules
quasi lege, sine lege. S. C. pecunia accepta, falsa referebat. Et ad Att. ep. 12. lib. XIV. Antonius, accepta
grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitibus latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, uiuo illo,
mentio nulla. Phil. 12. DESCRIBUNTUR:} quae donentur quibus uelit Antonius, quasi e Caesaris
commentarijs: Est autem, Distribere, diuersis distribuere. Sic ep. 1. lib. I. ad Q. fr. Vectigal quod
is aequaliter Sulla descriperat. In Verrem lib. v. Pro numero militum, pecuniarum summas describere.
Et Phil. 5. Quorum bana statim suis comitibus, compotoribusq. descripsit. EXSULES reducuntur;}
Phil. I. & 5. ep. 13. ad Att. lib. VII. REFERUNTUR:} ad aerarium, Phil. 5. BENEFICII uel
stri} quod eam tyranno liberauisti. NIHIL amplius:} Modus loquendi, ut de fin. l. v. Virtutem
ipsam inchoauit: nihil amplius. & Acad. l. 2. excepit, unum tantum scire se, nihil se scire: nihil amplius.
& in Verrem lib. III. se ipsum abs te repetit, nihil amplius. Et in eundem lib. IV. Haec uis reprehendit
si quis uolet: nihil amplius. Et pro Caecina. In possessionem in praesentia non restituetur, nihil amplius.
Et pro Flacco: Qua disputatione orationem refellam eius, qui dicit, dedimus: nihil amplius. AERA
leges aereis tabulis incisas: ITA decreuimus:} decreuit ipse in primis Cicero. nam Phil. I. Acta, in-
quit, Caesaris seruanda censeo: non quo probem: quis enim id quidem potest? sed quia rationem habenda
maxime arbitror pacis, & otij. TEMPORIBVS cedentes:} pacis, & otij causa. Phil. I.

Quod a consilij Antonij

Argumentum ep. 2.

Inuehitur in Antony immoderatam potentiam: reip. statum describit.
Eodem anno.

Cicero S. D. Cassio. 2.

VEHEMENTER, laetor tibi probari sententiam
& orationem meam, qua se saepius uti liceret:
nihil esset negotij, libertatem, & temp. recuperare. sed
homo amens, & perditus, multoq. nequior, quam ille
ipse,

quemetu nequissimum occisum esse dixisti, caedis initium quaerit: nullamq. aliam, ob causam me caedem fuisse Caesaris interficiendi criminatur, nisi ut in me venerant in cicerem: quod ego periculum non extimesco, modo facti vestri gloriam cum mea laude committet. At tu nec Pisoni, qui in eum primus inuectus est, nullo assensiente; nec mihi, qui idem tricesimo post die feci, nec P. Servilio, qui me est consecutus, tuto in senatum venire licet: eadem enim gladiator quaerit, eiusq. initium ad xiiii. Kal. Oct. a me facturum putavit, atquam paratus venerat, cum in villa Metelli complures dies commentatus esset: quae autem in Iulio, & in uirgo commentatio potuit esse? itaque omnibus est uisus, ut ad te antea scripsi, suo more uanere, non dicere. Quare quod scribis te confidere, auctoritate, & eloquentia non est aliquid profici posse: non nihil, ut in tantis malis est profectum, intelligi enim populus R. tres esse consulares qui quia, quae de rep. bene sentiant, libere loqui sint, in senatum venire non possint, nec est praeterea, quod quidquam exspectes: unus enim necessarius affini-

tate noua delectantur, itaque iam non est studiosus ludorum; in senatuq. fratris in plausu dirumpitur, alter item affinis nouis commentarijs, Caesaris deuenitus est. Sed haec tolerabilia: illud non ferendum, quod est, qui uestro anno consulem filium suum futurum putet, ob eamq. causam se huic latroni deseruire praesferat. nam L. Cotta, familiaris meus, fatali quadam desperatione, ut ait, minus in senatum uenit. L. Caesar, optimus, & fortissimus ciuis, ualitudine impeditur, Ser. Sulpicius, & summa auctoritate, & optime sentiens, non adest. reliquos, exceptis designatis, ignosce mihi si non numero consulares. Habes auctores consilij publici, qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset, quid censes, perditus? quare spes est omnis in uobis. qui si iccirco abestis, ut sitis in tutome, in uobis quidem: si aliquid dignum uestra gloria cogitatis: uelim, saluis nobis: si id minus, res tamen publica per uos breui tempore ius suum recuperabit. Ego tuis neque desum, neque deero: qui siue ad mereferent, siue non; mea tibi tamen beneuolentia, si desq. praestabituri. Vale.

EXPLANATIO

ORATIONEM meam, } secundam in Antonium, quae exstat. QVAE si saepius uiti liceret; } si liceret in senatu libere loqui, ep. 2. lib. x. HOMO amens, } M. Antonius: QVAM ille ipse, } qua C. Caesar. ME antea huius Caesaris interficiendi } epist. sequi. Vestri pulcherrimi facti ille furiosus me principem diei fecit. Et Philipp. 2. Haec uetera, illud uero recens, Caesarem meo consilio interfectum. PISONI, } L. Calpurnio Pisoni, C. Caesaris focero. QVI in eum primus inuectus est, nullo assensiente; } Philipp. 1. Ex quo primum cognoui, quae Kalendis Sext. in senatu fuisset L. Pisoni oratio: qui quamquam parum erat, a quibus debuerat, adiutus; tamen & Bruti testimonio; quo quid potest esse grauius; & omnium praedicatione, quos postea uidi, magnam mihi uidebatur gloriam consecutus. & Philip. 3. Homo amens, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet; (fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piso, xxx. diebus ante) inimicitias mihi denunciauit. P. SERVILIO, } Isaurici filio, qui consul fuerat cum C. Caesare. TUTO } uide ep. 2. lib. x. GLADIATOR } gladiatori similis, in caedibus hominum exercitatus. Philip. 7. Quem gladiatorem non ita appellauit, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellanti, qui plane, & Latine loquuntur. AD. XIII. Kal. Oct. } Tota res ita se habet. Cum Cicero, post interitum Caesaris, primum desperata rep. in Graeciam abire cogitasset; deinde, allata spe quadam libertatis, & otij, mutato consilio ad urbem reuertisset; M. Antonius consul Kalend. Sept. de supplicationibus relaturus, eum de more in senatum uocauit. Cicero misit, qui se excusarent, quod de uia langueret. ille iratus, fabros se missurum, & domum illius disturbaturum esse, audiente senatu, dixit. uenit Cicero postmodum in senatum, id est, iv. non. Sept. & locutus est, absente Antonio, de rep. liberius, quam pericula, minaeq. postulabant: eaq. nunc exstat oratio, Philippicarum prima. Tum Antonius, furore percitus, adesse cum iussit in senatu ad xiiii. Kal. Oct. ipse ante totum illud spatium, quod est a quarto non. Sept. ad xiiii. Kal. Oct. commentatus est in Tiburtino Metelli, quae contra Ciceronem diceret, eo die in senatu, dissuadentibus amicis. Cicero non uenit; sed mox accurate scripta oratione respondit, quae inter Philippicas secunda legitur. est autem ita scripta, quasi praesens praesenti Antonio eodem die responderit, quod ex eo constat, quia xiiii. Kal. Oct. inuectus est in Ciceronem Antonius, & eodem die habitam esse Philippicam secundam, fingit Cicero, cum ait in ea: Nescis heri, quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse? Nam qui dies quartum diem ludorum Romanorum proxime sequitur, est. xiiii. Kal. Oct. ut ex marmoribus antiquorum dierum fastis, quod Kalendarium uocant, intelligitur. Ac nequis in dubium uocet, quod scriptam esse dixi, non habitam: probabo ipso teste, non fuisse illum eo die in senatu, metu armorum Antonij: sic enim inquit in Philippica v. Cum is dies, quo me adesse iusserat, uenisset; tum uero agmine quadrato in aedem Concordiae uenit, atque in me absentem orationem ex ore impurissimo euomuit, quo die si per amicos mihi cupienti, in senatum uenire licuisset; caedis initium fecisset a me: sic enim statuerat. Et in hac ipsa epistola, cum ait: Tuto in senatum uenire mihi non licet: eadem enim gladiator quaerit, eiusq. initium ad xiiii. Kal. Oct. a me facturum putauit: nonne se non fuisse in senatu eo die, significat? Scriptam etiam, ut dixi, non habitam secundam Philippicam, indicant illa ad Att. ep. 10. lib. xvi. Utinam eum diem uideam, cum ista oratio libere uagetur, nam si scriptam edere non audebat: multo minus, ipso praesente Antonio, eam habere ausus esset. loquitur enim eo loco de secunda Philippica: ut in Commentarijs docuimus. PVTAVIT. } cum speraret, eo die me in senatum esse uenturum. AT QVAE ME paratus uenerat; } Libri ueteres, Ad quem: quod si probamus, ita dictum uidebitur, quod cum Antonius in senatu affuturum putaret; ut sit uenerat ad me paratus: id est, ut in me diceret ea, quae complures

plures dies commentatus erat. Malo tamen, At quam: quod alij excogitarunt. **IN VILLA** } Tibur-
 tina. Philipp. 5. quam Antonius occupauerat. Phil. 2. **METELLI** } quae fuerat Metelli Scipionis, so-
 ceri Pompeij Magni. Hic modo, uetere cognomine, Scipio, quia Corneliae gentis erat, appellabatur, ut
 Phil. 2. & 5. & alibi: modo, Metellus, accepto cognomine a Q. Metello Pio, Numidici filio, qui cum ado-
 ptauerat, ut scripsit Dio: interdum, utroque cognomine, Scipio Metellus, ut ep. 1. lib. VI. ad Att. & in S.C.
 in ep. Coelij lib. XIX. **COMPLURES dies** } dies septemdecim. inquit, dies de me in Tiburtino Scipionis de-
 clamauit, sitim quaerens: haec enim ei causa esse declamandi solet. **SVO more** } nam & antea, tuuo
 Caesare, uomuerat in conspectu populi Romani. Phil. 2. **VOMERE**, } ep. 25. Sic sum in Antonium
 inuectus, ut ille non ferret, omnemq. suum uiolentum furorem in me unum effunderet. **TRES esse con-**
sulares, } L. Pisonem, qui primus, Ciceronē, qui secundus, P. Seruilium, qui tertius in Antonium est inue-
 ctus. **NEC EST praeterea, quod quaquam expectes.** } praeter hoc, quod profectum esse dixi; non est
 quod quidquam expectes de cuiusquam officijs erga remp. nam Lepidus, tuus necessarius, affinitate noua
 delectatur: alter affinis nouis commentarijs Caesaris delentus est: L. Cotta minus in senatum uenit: L. Cae-
 sar ualeudine impeditur: Ser. Sulpicius non adest: quare spes omnis est in uobis. **T V V S enim necessa-**
rius } M. Lepidus; qui sororem M. Bruti unam habebat in matrimonio, alteram C. Casius. **AFFI-**
NITATE noua } M. Antonij: cuius filiam Lepidi filius uxorem duxerat. Dio lib. XLIV. **LVDORVM;**
 quia ludis Appollinaribus, quos praetor urbanus M. Brutus de more dederat, plaudi a populo uiderat. **L.**
Casio tribuno pl. fratri C. Casij, propterea ludos non amplius amabat. **FRATRIS tui** } qui fratri
 tuo datus est, ep. 2. ad Att. lib. XI. **Plausus L. Casio datus etiam facetus mihi quidem uisus est.** **DI-**
RVMPI TVR, } inuidia. **ALTER item affinis** } huius nomen ignoratur. **NOVIS commenta-**
rijs Caesaris } nuper a M. Antonio prolatis. **DELENTVS est,** } accepta ab Antonio pecunia, tam-
 quam e Caesaris commentarijs. **SED haec tolerabilia: illud non ferendum;** } uenustus transitus ad aliam
 sententiam. Sic Philip. 2. Sed haec uetera, illud uero recens, Caesarem meo consilio interfectum. Figura
 similis ep. 10. lib. III. Atque haec domestica: quid illa tandem popularia? **VESTRO anno** } anno uo-
 bis destinato: post biennium: nam hoc anno praeturam gerebant Brutus, & Casius: & praeturam consu-
 latus, interposito biennio, sequebatur. **L. COTTA,** } Aureliae gentis, qui consul biennio ante Cicero-
 nem fuerat. **L. CAESAR,** } auunculus M. Antonij ep. 5. ep. 14. lib. IX. **OPTIMVS & fortissimus**
cuius } sic eum appellat orat. 4. in Catil. L. Caesar, uir fortissimus, & amantissimus reip. sororis suae ui-
 rum, praesentem, & audientem, uita priuandum esse dixit. **DESIGNATIS,** } consulibus, Hirtio,
 & Panfa. **AUCTORES consilij publici.** } quorum auctoritate, & consilio resp. nititur. **SALVIS**
nobis: } id est, ne ante uestrum aduentum opprimamur, quod ita contigit. **IUS suum recuperabit.** } sic
 octo mei ueteres libri: recte: ut bene ominentur de Casio, & Bruto; uel in Italia res male succedat. ad Att.
 ep. 13. lib. XV. Videtur resp. ius suum recuperatura. **SIVE non;** } hoc in uno tantum est uetere libro, a
 reliquis abest, in tribus etiam hoc modo legitur: **Qui si non ad me referent, mea tibi tamen beneuolentia,**
 fidesq. praestabitur. quod minime displicet, in tribus, **Qui se ne ad me referent, mea tibi &c.**

Argumentum ep. 3.

IN Antonium, eiusq. sectam inuehitur. Eodem anno.

Cicero S. D. Casio. 3.

AVGET tuus amicus furorem in dies primum
 in statua, quam posuit in Rostris, inscripsit,
 PARENTI. OPTIME. MERITO; ut non mo-
 do sicarij, sed iam etiam parricidae indicemini: quid di-
 co, indicemini? indicemur potius: uestri enim pulcher-
 rimi facti ille furiosus me principem dicit fuisse. utinam
 quidem fuisset: molestus nobis non esset. sed hoc uestrum
 fuit; quod quando praeterit; utinam haberem, quid
 darem uobis consilij. sed ne mihi quidem ipsi, reperio,
 quid faciendum sit. **QVID** enim est, quod contra uim
 sine uiseri possit consilium omne hoc est illorum,
 ut mortem Caesaris persequantur. itaque ante diem VI.

non OCT. productus in concionem a Canutio, turpissime
 ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conseruatori-
 bus patriae, quae dici deberent de proditoribus: de me
 quidem non dubitauer, quin omnia de meo consilio &
 uos fecissetis, & Canutius faceret. cetera cuiusmodi
 sint, ex hoc iudica, quod legato tuo niaticum eripuerit.
 quid eos interpretari putas, cum hoc faciunt? ad hostem
 scilicet portari. o rem miseram: dominum ferre non po-
 tuimus; conseruo seruimus. & tamen, me quidem fa-
 uente magis, quam sperante, etiam nunc residet spes in
 uirtute tua. sed ubi sunt copiae? de reliquo, malo te ip-
 sum loqui tecum, quam dicta nostra cognoscere. Vale.

EXPLANATIO

TVVS amicus } Antonius. **IN STATUA,** } C. Caesaris. **ME. PRINCIPEM** } ep. 2.
MOLESTVS nobis non esset. } nam illum cum Caesare, impulsu meo, occidissetis. ep. seq. &
 ep. 28.

ep. 28. lib. x. **MORTEM** Caesaris persequantur. & ulciscantur interfectores Caesaris. **PRODUCTVS** in concionem } Antonius. **CANVTIO** } Ti. Canutio, tribuno pl. quem postea necauit Octavianus. Velleius lib. 2. Suetonius de claris Rhet. Dio lib. XLIX. **TURPISSIME** } vexatus a Canutio. **DE** **VOBIS** } uidē ep. 23. **LEGATO tuo** } erat enim Calsius Syriae proconsul. **VIATICVM** } de publico dari solitum. **DOMINVM** } Caesarem. **CONSERVO** } Antonio. **LOQVI tecum**, } consilium capere a te ipso. ep. 7. lib. 2. Tecum loquere; te adhibe in consilium.

Argumentum ep. 4.

Varia complectitur haec epistola, de Antonij nequitia, de senatu, de populo, de legatis ad Antonium missis, de ipso Calsio. Hirtio, & Pansa cos.

Cicero S. D. Calsio. 4.

VELLEM idibus Mart. me ad cenam inuitasses: reliquiarum nihil fuisset, nunc me reliquiae uestrae exercent, & quidem praeter ceteros me quamquam egregios consules habemus, sed turpissimos consulares; senatum sortem, sed infimo quemque honore fortissimum; populo nero nihil fortius, nihil melius, Italiaq. uniuersa, nihil autem foedius Philippo, & Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cum essent missi, ut Antonio ex senatus sententia certas res renunciarent, cum ille earum rerum nulli paruisset, ulro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. itaque ad nos concurritur: factiq. iam in re saluari populares sumus. Sed, tu quid ageres, quid

acturus, ubi denique esses, nesciebam, fama nunciabat te esse in Syria: auctor erat nemo. De Bruto, quo propius est, eo firmiora uidentur esse, quae nunciantur. Dolabella ualde uituperabatur ab hominibus non insulsis, quod tibi tam cito succederet, cum tu uixdum triginta dies in Syria fuisses. itaque constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua, & Bruti est, quod exercitum praeter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem, causamq. nosses: nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum, atque fama. tuas literas auide exspecto. Vale.

EXPLANATIO

AD. CENAM } ad Caesarem occidendum. Simul enim Antonium occidifsemus ep. 28. lib. x. **TURPISSIMOS consulares**; } ep. 5. **PHILIPPO, & Pisone** } L. Marcio Philippo, uitrico Octauiani, & L. Calpurnio Pisone, qui focer C. Caesaris fuerat. **CERTAS res** } quarum summa, ut Mutinae obsidionem relinqueret: alioqui paratum illi exitium. Phil. 7. **INTOLERABILIA postulata** } haec Antonij mandata cognoscuntur ex Phil. 8. Haec tu, inquit, mandata L. Piso, & tu L. Philippe, principes ciuitatis, non dico animo ferre, uerum auribus accipere potuistis? **IN. RE saluari populares** } mulei enim in re perniciofa populares, ut duo Gracchi, P. Clodius, C. Caesar. **DE. BRUTO**, } Marco. **PROPIOR**, } quam tu. Brutus etiam in Macedonia. **UITUPERABATUR ab hominibus non insulsis**, quod tibi tam cito succederet cum tu uixdum triginta dies in Syria fuisses. } Locus est elegans in his uerbis, nam senatus ademptam Dolabellae Syriam Calsio dederat. Dolabella uero ita in Syriam iuerat, quasi Calsio legitime successurus, qua de re non insulsi, nec infaceti homines, nimium cito Dolabellam Calsio succedere, cauillabantur: itaque recipiendum omnino non esse, quoniam legitimum tempus, quo Calsius decedere deberet, exspectare noluisse. **CONSTABAT**, } ideo constabat, eum recipi non oportere, quia tam cito succederet. Locus: non enim succedere Dolabellam Calsio senatus uoluerat, sed potius ereptam Dolabellae Syriam Calsio tradiderat. **EXISTIMAMINI** } nondum enim plane certum erat: quod & sequentia declarant. **REM, causamq.** } uniuersum rerum tuarum statum. In quo differant res, & causa, diximus ep. 1. lib. 1. **QVAE scribo**, } te esse in Syria, & exercitum habere.

Argumentum ep. 5.

M. Brutum laudat, ut ad eius imitationem Calsium accendat: addit de Mutinensi bello, de statu reip. Eodem anno.

Cicero S. D. Calsio. 5.

HEMEM credo adhuc prohibuisse, quo minus ubi esses, loquebantur omnes tamen, credo quod uolebant de te certum haberemus, quid ageres, maximeq. in Syria te esse, habere copias. id autem eo facilius credebatur,

batur, quia simile uero uidebatur. Brutus quidem nos-
ter egregiam laudem est consecutus. res enim tantas
gessit, tamq. inopinatas, ut eae cum per se gratæ essent,
tum gratiores propter celeritatem. quod si tu ea tenes,
quæ putamus: magnis subsidijs fulia resp. est. a prima
enim ora Græciæ usque ad Aegyptum optimorum ci-
uium imperijs muniti erimus, & copijs. quamquam,
nisi me falleret, res sic se habebat, ut totius belli omne
discrimen in D. Bruto positum uideretur: qui si, ut spe-
rabamus, erupisset Mutina; nihil belli reliquum fore
uidebatur, paruis omnino iam copijs obsidebatur; quod
magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. erat
autem Claternæ noster Hirtius, ad Forum Cornelium
Caesar, uterque cum firmo exercitu: magnasq. Romæ

Pansa copias ex delectu Italiae compararat. hiems ad-
huc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considera-
te, ut mihi crebris litteris significat, acturus uidebatur.
praeter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam
Galliam tenebamus studiosissimam reip. tuos etiam
clientes transpadanos mirifice coniunctos cum caussa
habebamus. erat firmissimus senatus, exceptis consu-
laribus: ex quibus unus L. Caesar firmus est, & rectus,
Ser. Sulpicij morte magnum præsidium amisimus.
reliqui partim inertes, partim improbi, nonnulli in-
uident eorum laudi, quos in rep. probari uident. populi
uero R. totiusq. Italiae mira consensus est. Haec erant
fere, quæ tibi nota esse uellem. nunc autem opto, ut ab
istis orientis partibus uirtutis tuae lumen eluceat. Vale.

EXPLANATIO

Res tantas gessit, } Ut omittam Plutarchi, Appiani, Dionis testimonia, cognoscuntur ex Phil. 10.
res a M. Bruto gestæ: quarum caussa in S. C. laudatus est his uerbis: quod eius opera, consilio, indu-
stria, uirtute, difficillimo reip. tempore, prouincia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, legiones exer-
citus, equitatus in consulum, senatus, populiq. R. potestate essent. A. PRIMA enim ora Græciæ }
quam tenebat Brutus. VSQVE ad Aegyptum } quam partem Cæsius in potestate reip. continebat.
Phil. 10. Exterae nationes a prima ora Græciæ usque ad Aegyptum optimorum ciuium imperijs muniti
erimus, & copijs. ERUPISSET } erupit, & uicit. ep. 14. lib. XI. CLATERNÆ } Cliternam
uocant Plinius & Strabo, Claternam idem Cicero Phil. 8. inde Hirtius Antonij præsidium deiecit. Fo-
RUM Cornelium } quæ postea Longobardorum temporibus Imola uocata. EXCEPTIS consularibus: }
ep. 4. L. CAESAR } ep. 2. & ep. 28. lib. X. MORTE } missus a senatu ad Antonium, Mutinam
obsidentem, in legatione periit: statuaq. ei pedestrem aeneam in Rostris collocandam, ipsum
quam amplissime supremo die suo efferendum, sepulcrum in campo Esquilino publice dandum, e Cicero-
nis sententia decreuit. Phil. 9. POPULI uero R. } ep. 4. AB ISTIS Orientis partibus uirtutis
tuae lumen eluceat. } cum quodam lepore dictum: ut quasi compararetur soli uirtus Cæsij. unde, inquit, sol
terras illustrat, inde fac ut eluceat uirtus tua.

Argumentum ep. 6.

Strabonem ita commendat, ut quasi aliud agere uideatur in Cæsio, & M.
Bruto, si res ad Mutinam male geratur, spem omnem reip. sitam esse di-
cit. Eodem anno.

Cicero S. D. Cæsio. 6.

Qui status rerum fuerit tum, cum has litteras
dedi, scire poteris ex C. Tidio Strabone, uiro bono,
& optime de rep. sentiente: nam quid dicam,
cupidissimo tui, qui, domo, & fortunis relictis, ad te
potissimum profectus sit? itaque eum tibi ne commendo
quidem. aduentus ipsius ad te satis eum commendabit.
Tu uelim sic existimes, tibiq. persuadeas, omne perfugium
bonorum in te, & Bruto esse positum, si, quod nolim, ad-

uersi quid euenerit. res, cum haec scribebam, erat in ex-
tremum deducta discrimen. Brutus enim Mutinae uix
iam sustinebat. qui si conseruatus erit; uicimus; sin-
(quod dii omen auertant) omnis omnium cursus est ad
uos. proinde fac tantum animum habeas, tantumq. ap-
paratum, quanto opus est ad uniuersam rep. recu-
perandam. Vale.

EXPLANATIO

TIDIO Strabone, } malim, Titio: cum Titij noti sint, Tidios autem ego quidem ignorem. & ep. 14.
lib. XIII. Titius Strabo nominatur. SI. ADVERSI quid euenerit. } si quid offensum sit. } VLS
iam sustinebat. } uix ferebat obsidionem, omnium paene rerum inopia laborans. Hoc est, quod ad M. Bru-
tum scripsit. Res existimabatur in extremum adducta discrimen. tristes enim de Bruto nostro litterae nun-
cijq. afferebantur. QUI. SI conseruatus erit; uicimus; } eodem modo ep. 20. lib. XIV. ad Att. Cuius
est

esse in urbe tuto licebit; quicimus. **SIN;** } omnis causa mentionem iurat aduersae fortunae. Eadem figura, quae ἀποστροφήσι Graecae dicta, ep. 3. lib. XI. Si perficitis, quod agitis; me ad uos uenire oportet. Sin autem: sed nihil est opus reliqua scribere. Et ep. 12. lib. XVI. ad Att. Si pares aequae inter se, quiescendum: sin, laetius manabit. Et apud obsceni carminis poetam: Sin; haec mei te uentris arma laxabant. **OMNIS omnium cursum est ad nos.** } Si offensum esset in proelio Mutinensi; ciuitas omnis, Antonij metu, in Graeciam ad M. Brutum confugisset. id quod ad ipsum Brutum Cicero scripsit his uerbis: Triduo, aut quatri-duo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam percussa ciuitas, tota ad te se cum coniugibus, & liberis effundebat.

Argumentum ep. 7.

Sententiam ab se in senatu ex Cassij dignitate dictam, eamque a se in concione defensam, ostendit. Eodem anno.

Cicero S. D. Cassio. 7.

QUANTO studio dignitatem tuam & in senatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me, cognoscere. quae mea sententia in senatu facile ualuisse, nisi Pansa uehementer obstitisset: ea sententia dicta, productus sum in concionem a tribuno pl. M. Seruilio. dixi de te quae potui, tanta contentione, quantum forum est; tanto clamore, consensuque populi, ut nihil unquam simile uiderim. id uelim mihi ignoscas, quod inuita socru tua fecerim. mulier timida uerebatur, ne Pansae animus offenderetur. in concione quidem Pansa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem illam a me sententiam noluisse dici, sed me haec non mouebant:

alia malebam: fauebam & reip. cui semper faui, & dignitati, ac gloriae tuae. Quod autem & in senatu pluribus uerbis disserui, & dixi in concione, in eo uelim fidem meam liberes. promisi enim, & prope confirmaui, te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra. sed te ipsum tuo more temp. defensurum. & quamquam nihil dum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omnes, quae in istis partibus essent, opes, copiasque tuas esse: per teque. Asiam prouinciam confidebam iam reip. recuperatam. Tu fac in augenda gloria te ipsum uincas. Vale.

EXPLANATIO

IN SENATU, } cum habuit Phil. XI. **AD POPULUM** } quae concio non exstat. **QUAE** mea sententia } ut Cassius obtineret Syriam. **PANSA** } consul. **OBSTITISSET**, } cum illam sententiam ualere mallet, ut consules, id est ipse, & Hirrius, persequendi Dolabellae causa, Asiam, & Syriam sortirentur. Phil. XI. **QUANTUM FORUM EST**; } quanta requiritur in foro, quantam fori magnitudo postulat. **SOCRUM TUAM**; } Seruilia, Catonis Uticensis sorore, matre M. Bruti, & Tertullae, uxoris Cassij. **FRAATREM** } L. Cassium. ep. 2. **FIDEM MEAM LIBERES**. } quod ego promisi, tu re ipsa praestes. **RECUPERATAM**. } eam enim Dolabella, occiso per fraudem Proconsule Trebonio, inuaserat, & occupauerat.

Argumentum ep. 8.

Renuatum esse Lepidi scelere bellum queritur: Cassium hortatur ad temp. liberandam. Eodem anno.

Cicero S. D. Cassio. 8.

SCELVS affinis tui Lepidi, summamque leuitatem, & inconstantiam, ex actis, quae ad te mitti certo scito, cognosse te arbitror. itaque nos, confesso bello, ut arbitrabamur, renouatum bellum gerimus: spemque omnes in D. Bruto non solum ad praesens per fugium, in te, & in meo Bruto non solum ad praesens per fugium, sed, quod nolim, aduersi quid acciderit, sed etiam ad con-

firmationem perpetuae libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus, quae uellemus: sed certos auctores non habebamus. te quidem magnum hominem & praesenti iudicio, & reliqui temporis expectatione scito esse. hoc tibi proposito, fac ut ad summa contendas. nihil est tantum, quod non populus R. a te perfici, atque obtineri posse indicet. Vale.

PPP EXPLA-

EXPLANATIO

SCELVUS } quia se cum Antonio coniunxerat. **AFFINIS tui** } ep. 2. **CONFECTO bello** }
 Suicto ad Mutinam Antonio. **AVDIEBAMVS**, quae uellemus: } oppressum a te. ep. 9. **HOC tibi**
 proposito, fac ut ad summa contendas. } laudationem sequitur cohortatio. ep. 2 I. lib. xv.

Argumentum ep. 9.

Eiusdem argumenti cum superiore: hoc amplius, quod in Italiam Cas-
 sum uocat. Eodem anno.

Cicero S. D. Cassio. 9.

BREVITAS tuarum litterarum me quoque bre-
 uiorem in scribendo facit: & uere ut dicam, non
 satis occurrit, quod scribam. nostras enim res in actis
 perferri ad te certo scio: tuas autem ignoramus. tam-
 quam enim clausa sit Asia, sic nihil perferretur ad nos,
 praeter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem
 constantes, sed adhuc sine auctore. Nos confectum bel-
 lum cum putaremus, repente a Lepido tuo in summam
 sollicitudinem adducti sumus. itaque persuade tibi, maxi-
 mam reip. spem in te, & in tuis copijs esse. firmos om-
 nino exercitus habemus: sed tamen, ut omnia, ut spero,
 prospere procedant, multum interest te uenire. exigua
 est enim spes reip. nam nullam non liber dicere: sed, quae
 cumque est, ea despondetur anno consulatus tui. Vale.

EXPLANATIO

LEPIDUS } affine. **FIRMOS exercitus** } D. Bruti, & Planci. **MULTVM interest** } ep. 10.
VENIRE. } in Italiam. **DESPONDETVR** } promittitur. **CONSULATVS tui.** }
 & M. Bruti. eodem enim anno consules futuri erant. ep. 2. Anno uestro dixit.

Argumentum ep. 10.

Et lepidum hostem a senatu iudicatum scribit, & omnino rem poscere,
 ut Cassius cum exercitu in Italiam ueniat. Eodem anno.

Cicero S. D. Cassio. 10.

LEPIDVS, tuus affinis, meus familiaris, pridie
 Kal. Quint. sententijs omnibus hostis a senatu iudi-
 catus est, ceteriq. qui una cum illo a rep. defecerunt,
 quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kal. Sept.
 potestas facta est. foris sane senatus, sed maxime spe
 subsidij tui. bellum quidem, cum haec scribebam, sane
 magnum erat scelere, & leuitate Lepidi. Nos de Dola-
 bella quotidie, quae uolumus, audimus, sed adhuc sine
 capite, sine auctore, rumore nuncio. quod cum ita esset,
 tamen litteris tuis, quas nonis Maij ex castris datas
 acceperamus, ita persuasum erat ciuitati, ut illum iam
 oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam
 uenire cum exercitu: ut, si haec ex sententia confecta
 essent, consilio, atque auctoritate tua; sin quid forte titu-
 batum esset, ut sit in bello, exercitu tuo nitere. quem
 quid em ego, exercitum quibusenimque potero rebus
 ornabo. cuius rei tum tempus erit, cum, quid opis reip.
 laturus exercitus sit, aut quid iam tulerit, notum esse
 coeperit. nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi
 illi quidem, & praeclarissimi, sed gestares expectatur:
 quam quidem aut iam esse aliquam, aut appropinquare
 confido. tua uirtute, & magnitudine animi nihil est
 nobilius. itaque optamus, ut quamprimum te in Italia
 uideamus. remp. nos habere arbitramur, si uos habe-
 bimus. praeclare uiceramus, nisi spoliatum, inermem,
 fugientem Lepidus recepisset Antonium. itaque num-
 quam tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto est
 Lepidus. ille enim ex turbulenta rep. hic ex pace, & ui-
 ctoria bellum excitauit. huic oppositos consules desi-
 gnatos habemus; in quibus est magna illa quidem spes,
 sed anceps cura propter incertos exitus proeliorum.
 persuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo esse omnia, uos
 expectari, Brutum quidem iam iamq. quod si, ut spero,
 uictis hostibus nostris, ueneritis: tamen auctoritate ue-
 stra resp. exsurgat, & in aliquo statu tolerabili consistet.
 sunt enim permulta, quibus erit medendum, etiam si
 resp. satis esse uidebitur sceleribus hostium liberata.
 Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

AD SANITATEM; ad bonam mentem, insanire enim, & furere dicebantur, qui a rep. defecif-
sent. ep. II. lib. XVI. Videtur, si insaniet, posse opprimi, **QVAE** uellemus, } ep. 8. 9. **SI**. HAEC
exsententia confecta essent, } ep. 9. Ut omnia prospere procedant. } **SIN** quid forte titubatum esset, } ep.
2. Si aduersi quid acciderit, ep. ad M. Brutum; Siquid offensum sit, **NITEREMVR**, } transla-
tum translato reddidit, quia dixerat, Titubatum. **LATVRVS** exercitus sit, } uerbum, exercitus,
opinor abundare. **GESTA** res; Dolabella oppressus. **CONSVLES** designatos; D. Brutum, &
Plancum. Caesarem non nominat, ut epistola quoque octaua, credo ne Cassium, qui patrem eius necauit,
offendat. **BRVTVM** quidem iam iamq. } propius enim aberat, cum esset in Macedonia, quam
Cassius, qui in Syria. **EXSVRGET**, } translatum uerbum, ut infra, Confistet: & supra, Nitescitur,
in eadem sententia. **QVIBVS** erit medendum, } domestica uitia notat, & intestinum malum.

Argumentum ep. II.

Scribit, a quibus copias acceperit: seq. & remp. commendat. Eodem an-
no, ante Mutinensem uictoriam, ut adscripta dies docet.

C. Cassius. procos. S. D. Ciceroni. II:

SI uales, bene est: ego. quidem ualeo. In Syriam me
profectum esse scito ad L. Murcum, & Q. Crispum
imp. uiri fortes, optimiq. ciues postea quam audierunt,
quae Romae gererentur, exercitus mihi tradiderunt; ip-
siq. mecum una fortissimo animo remp. administrant.
item legionem, quam Q. Caecilius Bassus habuit, ad me
uenisse scito. quattuorq. legiones, quas A. Allienus ex
Aegypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc
te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes, remq.
publicam, quantum opus est, defendas: scire te uolo, fir-
ma praesidia uobis, senatuiq. non deesse; ut optima spe,
& maximo animo remp. defendas. reliqua tecum aget
L. Carreius, familiaris meus. Vale. D. non is Mart. ex
castris, Taricheis.

EXPLANATIO

PRO COS. } non quia consul fuisset, uerum quia proconsulari imperio Syriae praesesset. Multos au-
tem post praeturam proconules appellatos esse, ostendimus ep. I. lib. I. Syriam Cassio praetori Caesar,
Parthicum bellum cogitans, destinauerat, ut praetura functus in eam iret. Caesare mortuo, consul Anto-
nius effecit, ut ea collegae suo Dolabellae, sibi autem Macedonia S. C. traderentur; Cassius in Siciliam, M.
Brutus in Asiam, uterque emendi, mittendiq. ad urbem frumenti gratia, proficiscerentur. postea, cum Do-
labella in Asia Trebonium proconsulem occidisset, Antonius autem in Gallia cisalpina Decimum Brutum
oppugnaret; offensus grauius senatus, cui iam utriusque consulis perniciofa reip. consilia paterent, Cassio
Syriam, Bruto Macedoniam, utramque illis a Caesare promissam, S. C. restituit. quo S. C. instructi, Cas-
sius in Syriam, Brutus in Macedonia inuere: & Cassius quidem Dolabellam oppressit, Brutus C. Antonium, Mar-
cifraterem, conantem occupare Macedonia, cepit. Opinior autem, cum hanc epistolam scripsit Cassius,
nondum ei Syriam a senatu decretam fuisse. decreta est enim post mortem Trebonij, ut Phil. II. ostendit
Trebonius autem, cum hanc epistolam scripsit Cassius, nondum perierat. **L. MVRCVM** } L. Statium
Murcum, qui tres legiones habebat. Phil. II. Appianus lib. IV. Dio lib. XLVII. hunc postea Sex. Pompeius,
Magni filius, cum ad eum, deuietis Bruto & Cassio, se contulisset, uirtutem eius timens occidit. Dio lib.
XLIX. **Q. CRISPVM** } Q. Marcium Crispum, ipsum quoque trium legionum ducem. Phil. II. Ap-
pianus, & Dio: quamquam Dio mendose M. Crispum uocat. **QVAE** Romae gererentur, } contra An-
tonium, & Dolabellam, & pro ipso Cassio, tradita illi Syria S. C. Epitome Liuiana lib. CXXI. **LEGIO-**
NEM } quam Murcus, & Crispus obsidebant. **Q. CAECILIVS Bassus**, } qui praecerat ei legioni,
a Caesare traditae, cum de Parthico bello cogitaret. Phil. II. Est Q. Caecilij Bassi, priuati illius quidem,
sed fortis, & praeclari uiri, robustus, & uictor exercitus. Strabo lib. XVI. Dio lib. XLVII. Appianus lib. IV.
ALLIENS } legatus Dolabellae. Phil. II. **EX AEGYPTO** } quo missus erat a Dolabella, ut ad
se quattuor illas legiones adduceret. Appianus lib. IV. **TARICHEIS**, } opido Iudaeae. Plinius lib.
V. cap. 15. & Iosephus de bello Iudaico.

Argumentum ep. 12.

FActa mentione beneuolentiae Ciceronis erga se, commendat suam di-
gnitatem, suosq. duces, ac milites. in extremo, iturum se in Ciliciam
contra Dolabellam, significat. Eodem anno.

Cassius procos. S. D. Ciceroni.

12.

SI uales, bene est: ego quidem ualeo. Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognoui. uidebaris enim non solum fauere nobis, id quod & nostra, & reip. causa semper fecisti; sed etiam grauem curam suscepisse, uehementerque esse de nobis sollicitus. itaque, quod te primis existimare putabam, nos, oppressa reip. quiescere non posse; deinde, cum suspicari nos moliri, quod te sollicitum esse, & de salute nostra, & de reru euentu putaba: simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Aegypto, scripsi ad te, tabellariosque coplures Romam misi. scripsi etiam ad senatum litteras, quas reddi uetui prius, quam tibi recitatae essent: si forte mei obtemperare mihi uoluerunt: quod si litterae per latae non sunt, non dubito, quin Dolabella, qui, nefarie Trebonio occiso, Asiam occupauit, tabellarios meos deprehenderit, litterasque interceperit, exercitus omnes, qui in Syria suere, teneo. habui paullulum morae, dum promissa militibus persoluo. nunc iam sum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam tibi commendatam habeas: si me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriae denegasse: si contra importunissimos latrones arma cepi, te hortante, & auctore: si non solum exercitum ad reip. libertatemque defendendam compa-

raui, sed etiam crudelissimis tyrannis eripui: quos si occupasset Dolabella; non solum aduentu, sed etiam opinione, & expectatione exercitus sui Antonium confirmasset. quas ob res milites tuere, si eos mirifice de reip. meritos esse animaduertis: & effice, ne quem paeniteat, reip. quam spem praedae & rapinarum, se qui maluisse. nem Murci & Crispi imp. dignitatem, quantum est in te, tuere. nam Bassus misere noluit mihi legionem tradere. quod nisi milites inuito eo legatos ad me misissent; clausam Apameam tenuisset, quoad ui esset expugnata. Haec a te peto non solum reip. quae tibi semper fuit carissima, sed etiam amicitiae nostrae nomine, quam confido apud te plurimum posse. crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, senatus, atque optimi cuiusque esse, maximeque tuum: de cuius uoluntate assidue audiendo, mirifice te diligit, carumque habet: qui si intellexerit commoda sua curae tibi esse; debere etiam se tibi omnia putabit. Litteris scriptis, audiui Dolabellam in Ciliciam uenisse cum suis copijs. proficiscar in Ciliciam. quid egerim, ceu leuiter ut scias, dabo operam. ac uelim, ut mereatur de reip. sic felices simus. Fac ualeas, meque ames. Nonis Maij, ex castris.

EXPLANATIO

MOLIRI, } apparare. moliri enim absolute ponitur interdum. Terentius in Heaut. Dum molitur, dum comuntur, annus est. **SCRIPSI AD TE,** } superiores litteras significat. **TREBONIO,** } qui Asiae praerat. **OCCISO,** } Smyrnae: quaestione primum tormentis habita pecuniae publicae, deinde ceruicibus fractis, abscisso capite: quod affixum gestari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abijci Dolabella iussit. Phil. xi. Appianus lib. iv. Dio lib. xlvii. **QUI IN SYRIA SUERE,** } ubi Caesar eos collocauerat, iturus in Parthos. ep. xi. **DIGNITATEM MEAM,** } cupere se ostendit Syriae administrationem. **TYRANNIS,** } Dolabellae, & Antonio: ijs enim usi essent ad exitum reip. **ERIPUI:** } effeci enim, ne ab ijs occupari posset. **QUOS,** } sic omnes libri ueteres; uno excepto, in quo est, **Quam,** & in margine quos, Quos autem exercitus accipio, non tyrannos; nam tyranni sunt ipsi Dolabella, & Antonius, quibus ereptum a se exercitum esse gloriatur. At, **Exercitum,** dixit, non **Exercitus.** **Ver:** tamen postea respexit ad quattuor exercitus, quos ipse comparauerat, Murci, Crispi, Bassi, Allieni. **MISERE,** } turpiter, & infelicer. miser, quia noluit id, quod debuit.

Argumentum ep. 13.

GRatulatur de Mutinensi Victoria, & res a se gestas exponit. Eodem Anno.

Cassius Q. S. D. Ciceroni.

13.

SI uales, bene est: ego quidem ualeo. Cum reip. uel salute, uel uictoria gaudemus: tum in laetatione tuarum laudum, quod maximus consularis maximum consulem te ipse uicisti, & laetamur, & mirari satis non possumus. fatale nescio quid tuae uirtuti datum: id quod iam saepe experti sumus. est enim tua toga omnium annis felicior: quae nunc quoque nobis paene uictam reip. ex manibus hostium eripuit, ac reddidit. nunc ergo

uiuemus liberi, nunc te, omnium maxime ciuis, & mihi carissime, id quod maxime reip. tenebris comperissi, nunc te habebimus restem nostri & in te, & in coniunctissimam tibi reip. amoris: & quae saepe pollicitus es te & taturum, dum seruiremus, & dicturum de me tum, cum profutura essent; nunc illa non ego quidem dici turotopere desiderabo, quam sentiri a te ipso. neque enim omnium iudicio malim me a te commendari. quam ipse

tuo

tuo iudicio digne, ac mereor, commendatus esse: ut haec nouissima nostra facta non subita, nec inconuenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices; meq. ad optimam spem patriae non minimum tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi, M. Tullii liberi, propinqui, digni quidem te, & merito tibi carissimi: esse etiam debent in rep. proxime has cari, qui studiorum tuorum sunt aemuli: quorum esse cupio tibi copiam; sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi uacet me excipere, & ad omnia, quae uelis, & probes, producere. animum tibi nostrum fortasse probauimus, ingenium certe diutina seruitus, qualecunque est, minus tamen, quam erat, passus est uideri. Nos ex ora maritima Asiae prouinciae, & ex insulis quas potuimus naues deduximus. delectum remigum, magna contumacia ciuitatum, tamen satis celeriter habuimus. secuti sumus classem Dolabellae, cui Lucilius praeerat: qui, spem saepe transitionis praebendo, neque unquam non decedendo, nouissime Corycum se contulit, & clauso portu se tenere coepit. nos, illa relicta, quod & in castra peruenire satius esse putabamus; & sequeba-

tur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tillius Cimber compararat, cui Turulius quaestor praeerat; Cyprum petiuimus. ibi, quae cognouimus, scribere ad uos quam celerrime uoluimus. Dolabellam ut Tarsenses pessimi focu, ita Laodiceni multo amentiores ultro accerserunt, ex quibus utrisque ciuitatibus, Graecorum militum numero, speciem exercitus effecit. castra habet ante opidum Laodiceam posita; & partem muri demolitus est; & castra opido coniunxit. Cassius noster cum decem legionibus, & cohortibus uiginti auxiliarijs, & quattuor millibus equitum a millibus passuum uiginti castra habet posita Πάλτοι; & existimat se sine proelio posse uincere. nam iam ternis tetradrachmis triticum penes Dolabellam est. nisi quid nauibus Laodiceuorum supportarit; cito fame pereat, necesse est; ne supportare possit, & Cassij classis bene magna, cui praest Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, & Patischus, facile praestabunt. uolo igitur uos bene sperare: & temp. ut uos illic expediatis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri posse, confidere. Vale. Data idibus Iun. Cypro, A Crommyacride.

EXPLANATIO

CASSIUS non is, qui scripsit duas superiores epistolas: ut infra. **Q.** quaestor, alterius Cassij, ut opinor, eius qui cum Bruto in Caesarem conurauit. **VICTORIA** Mutinensi. **INSTAURATIONE** renouantur enim tuae laudes uictoria Mutinensi, a tuis maxime consilij profecta. **MAXIMVS** consularis maximum consulem te ipse uicisti, maiora enim sunt, quae consularis, quam quae consul effecisti; cum tamen maxima consul gesseris. ep. 7. Fac in augenda gloria te ipsum uincas. Et lib. III. de Orat. Ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a se superatum. **TOGA** togatus enim Cicero reip. saepe profuit. ep. 4. lib. xv. **REIP. tenebris** Caesare dominante, luce libertatis extincta. **COMPERISTI**, ob mea in te officia, & quia tum tibi sensus meos patefeci. infra: similia illis cogitationibus, quarum tu testis es. **TACITVRVM**, de meo, & in tyrannum odio, & in temp. studio. **OMNIVM** iudicio non tuo. **NOUISSIMA** cum Caesarem occidimus, & cum arma pro rep. capimus. **NEC inconuenientia**, ita legitur in quinque libris antiquis, quos nunc habeo, & in alijs praeterea, quibus olim sum usus; Petri Bembi, Vbaldini Bandinelli, Ioannis Scallae, Pauli Boti, duobus Caroli Sigonij. nec uero aliter postulat sententia. Duo ueteres libri, unus Vincentij Riccij, quem olim in Scholijs meis nominaui, alter, qui nunc apud me est, uiri doctissimi, atque optimi, & mihi uetere necessitudine coniuncti, Petri Pagani, habent, **Disconuenientia**: nec improbo: nam & Horatius ep. I. l. I. dixit: Aestuat, & uitae disconuenit ordine toto. Et ep. 14. Non eadem miramur: eo disconuenit inter & te. Alij legunt, **Nec Conuenientia**, pro, inconuenientia. Sua cuique sponfa, ut in prouerbio est. **ILLIS cogitationibus**, derep. liberanda. **NON minimum** aduerbij loco, pro, Non minime. **PRODUCENDVM** Promouendum. infra: Ad omnia producere. **STVDIORVM. TVORVM** erga temp. **QVORVM** amicorum. **COPIAM**: ut abundes. **NON maxima me turba puto excludi**, non puto multos esse, quos mihi in amore anteponas. **QVO minus tibi uacet me excipere**, ut non tibi liceat amplecti me officijs tuis: ut ob maximam amicorum turbam ornare me non possis. **PROBAVIMVS** in occidendo Caesare. nam & hic eum percussit. **DIUTINA seruitus**, in qua uiuendum fuit ad unius arbitrium: ingenium elucere non potuit. **CONTVMACIA** cum recusarent. **CVI Lucilius praeerat**: etsi nihil mutauimus, tamen indicamus placere nobis, Lucius, potius, quam Lucilius: tum quod ita est in duobus antiquis, & in uno praeterea Vincentij Riccij, quem olim habuimus: tum etiam, quod Appianus hunc nominat L. Figulum: & Figulus non Luciliorum, sed Marciorum, & Nigidiorum est cognomen. **NEQVE unquam non decedendo**, & interdum a portibus ita discedendo, ut ad me transire uelle uideretur. **CORYCVM** portuosum Pamphylicae montem. **ANNO priore**, superiore proximo. **BITHYNIA** Cimbro ab tuo fenatu attributa. Plutarchus in Bruto, Appianus lib. III. Dio lib. XLVII. **TILLIUS Cimber** unus percussoribus Caesaris. ep. 12. lib. VI. Suetonius, Plutarchus, Dio, Appianus, Seneca, alij. **QVAE-STOR** Cimbrum. **SPECIEM exercitus effecit**, non plane exercitum, sed imaginem, & similitudinem. Cicero II. in Rullum: Neque ueris comitibus, neque illis, ad speciem, atque ad usurpationem, uetustatis, per xxx lictores auspicioum causa adumbratis. Tacitus lib. XIX. Tantum simul peditum, equitumq. & aemulantium inter se regum paratus, speciem fortunae principalis effecerant. **CASSIUS noster** is, qui Caesarem occiderat. **CASTRA habet posita Πάλτοι**: Paltum Syriae opidum a Plinio quoque Graeca inflexionis forma nominatum. E uetere libro Pauli Boti sic olim emendauimus. & ita

& ita dictum, *παλτοῖ*, figura Graeca, ut *κορυδαλλος κορυδαλλοῖ, προβαλινδος προβαλινδοῖ, φάλγος φάλγοι, φρέαφρον, φρεαφροῖ*. **TERNIS** tetradrachmis triticum penes Dolabellam est: mensuram non nominat: sed medimnum significari puto, nam modius Romana mensura fuit. de medimno autem eo magis arbitror, quia tetradrachmum nummus Asiaticus est: & Laodiceae, quae fuit in Syria, triticum ueniebat. Medimnus sex modios capit, & amphoras duas: ut ex Fannij uersibus cognoscitur. sed quoniam tritici plura genera, nec eiusdem omnia ponderis; quod lib. **XIIX.** cap. 7. Plinius docet: ideo medimni mensura certo librarum numero definiri non potest. uaria enim est pro uarietate frumenti. Italicum quidem & candore, & pondere ceteris omnibus Plinius anteponit: sed Romanum in modio leuiter aequato, non pala depresso, ad uicenas libras non peruenire, Latinus Latinus, uir bonitate insigni, & peracuto praeditus ingenio, mihi affirmauit, expertus ipsemet in quadrantali, sua iam industria facto ad mensuram quadrati pedis Romani. quod cum amphora sit, & amphoras duas medimnus capiat, idemq. modios sex: satis liquet, modios quadrantali ternos contineri, quadrantalem autem frumento aequatum, pala non depresso, libras pendit **LVI I**, & unius dimidium: depresso, libras **LXIV**, & unius dimidium: depresso, & cumulado, libras **LXXII**, & unius dimidium. sed ponamus, Asiatici tritici, de quo loquitur Cassius, pondus fuisse uicenas in modio libras, medimnum autem ternis tetradrachmis uenisse. pretium erit, pro singulis medimnis, id est libris **CXX**, denarij **XI I**. qui sunt sestertij nummi **XLI IX**, id est asses **CXC I I**. asses autem Venetis marculis, qui quaterni respondent ternis baiocis Romanis, aestimantur. quod si **CXX** tritici librae assibus **CXC I I** ueneant: sequitur, ut singulae librae ueneant asse, & unius tribus quintis partibus. ita Romana mensura, quam rubium hodie uocant, sexcenarum librarum pondere, qui medimni quinque sunt, scutatis erit **VI I**, & assibus **XXVI I**. Tetradrachmum Asiaticum nummus, atque etiam Atticus fuit, ut Liuius docet, quattuor drachmarum pondere; quod uel ex nomine intelligitur. respondere tribus fere denarijs, ait Liuius lib. **XXXIV**. sed loquitur de leuiore drachma, a Solone inducta, quae denarium pondere non aequabat, sed tertia sui parte, quae denarij quarta pars erat, superabatur. propterea, trium fere denariorum in singulis tetradrachmis argenti pondus esse. Liuius dixit. habent enim scriptores eius rationem temporis, de quo scribunt, non quo scribunt ipsi. nam & Liuij, & Ciceronis aetate, ac Plinij postea, tetradrachmum trium denariorum pondere non erat, sed quattuor plane denarijs aequale. Nec uero, quia Liuius addidit, Fere, notatur inaequalitas, sed potius officinarum consuetudo, quae non nihil interdum de legitimo denariorum pondere detrahunt. quod fortasse iam, ueniente Liuiio, Augusto principe, fieri coeptum erat. **TRITICVM** tritici modius, librae **XXV**. **EGO** quaestor C. Cassij proconsulis. **TYRVLIVS** quaestor Cimbri. **PATISCHVS** Cilix, proquaestor Lentuli: ut ep. 15. is est, de quo in ep. XI. lib. 2. & ep. 6. lib. IIX. **EXPEDIISTIS**, deuicto ad Mutinam Antonio. **EXPEDIRI POSSE**, in opprimendo Dolabella. **ACROMYACRIDE**, uerba Graeca Latine prolata. nam *ακρομυια* Cypri promontorium est, auctoribus Strabone, & Ptolemaeo. *ακρῖς* autem deminutiua forma dictum. Cassius, cum Latine loqui uellet, ex duobus nominibus unum fecit, omissa una littera u.

Argumentum ep. 14.

EXponit res a se gestas: Rhodios accusat: procurationem Asiae petit: merita sua in remp. commemorat. Eodem anno.

Lentulus S. D. Ciceroni suo.

14.

CVM Brutum nostrum conuenissem; eumq. tardius in Asiam uenturum animaduertirem; in Asiam redij, ut reliquias mei laboris colligerem, & pecuniam quamprimum Romam mitterem. interim cognoui in Lycia esse classem Dolabellae, ampliusq. centum naues onerarias, in quas exercitus eius imponi posset; idq. Dolabellam ea mente comparasse, ut, si Syriae spes eum frustrata esset, conscenderet in naues, & Italiam peteret, seq. cum Antonijs, & reliquis latronibus coniungeret, cuius rei tanto in timore sui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus, & minoribus nauibus ad illas ire conatus sim, quae res, si a Rodijs non essem interpellatus, fortasse rota sublata esset: tamen magna ex parte prostigata est: quandoquidem classis dissipata est: aduentus nostri timore milites, ducesq. effugerunt: onerariae omnes ad unam a nobis sunt exceptae. certe, quod maxime

timui, uideor esse consecutus, ut non possit classe Dolabella in Italiam peruenire, nec, socijs suis firmatis, durius uobis efficere negotium. Rhodij nos, & remp. quam ualde desperauerint, ex litteris, quas publice misi, cognosces, & quidem multo parcius scripsi, quam re uera furere eos inueni. quod uero aliquid de his scripsi, mirari noli: mira est eorum amentia. nec in me ullae priuatum iniuriae umquam. malus animus eorum in nostra salute, cupiditas partium aliarum, perseverantia in contempione oprimi cuiusque ferenda mihi non fuit. nec tamen omnes perditos esse puto. sed ijdem illi, qui tum fugientem patrem meum, qui L. Lentulum, qui Pompeium, qui ceteros uiros clarissimos non receperunt; ijdem, tamquam aliquo fato, & nunc aut magistratum gerunt, aut eos, qui sunt in magistratu, in sua habent potestate. itaque eadem superbia in prauitate utuntur. quorum improbitatem

probitatem aliquando retundi, & non pati impunitate auferri, non solum utile est reip. nostrae, sed etiam necessarium. De nostra dignitate uelim tibi ut semper curae sit; & quocumque tempore occasionem habueris, & in senatu, & in ceteris rebus laudi nostrae suffragere. Quoniam consulis decreta est Asia; & permissum est ijs, ut, dum ipsi uenirent, darent negotium, qui Asiam obtineant: rogo te, petas ab ijs, ut hanc dignitatem potissimum nobis tribuant; & mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter uenit, nam, quod huc properent in magistratu uenire, aut exercitum mittere, causam non habent. Dolabella enim in Syria est; & ut tu diuina tua mente prospexisti, & praedicti, dum isti uenirent, Cassius eum opprimeret. exclusus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando male acceptus, nulla alia confusus urbe, Laodiceam, quae est in Syria ad mare, se contulit. ibi spero celeriter eum poenas daturum. nam neque, quo refugiat, habet: neque diutius ibi poterit tantum exercitum Cassii sustinere. spero etiam confectum esse iam, & oppressum. quare non puto Pansam, & Hirtium in consulatu properaturos in provincias exire, sed Romae acturos consulatum. itaque, si ab his petieris, ut in reera nobis procuratoriam Asiae dent; spero te posse impetrare. praeterea mihi promiserunt Pansa, & Hirtius coram, & absenti mihi scripserunt, Verriusq. nostro Pansa affirmavit, se daturum operam, ne in suo consulatu mihi succedatur. ego, porro non medius fidius cupiditate provinciae producti longius spatium mihi uolo. nam mihi fuit ista provincia plena laboris, periculi, detrimenti. quare ego ne frustra subierim, ne ne prius, quam reliquias meae diligentiae consequar, decedere cogar, ualde laboro. nam, si potuissem, quam exegeram, pecuniam uniuersam mittere; postularem, ut mihi succederetur. nunc, quod

Cassio dedi, quod Trebonij morte amisimus, quod etiam crudelitate Dolabellae, aut perfidia eorum, qui mihi fidem, reiq. pub. non praestiterunt, id consequi, & rescere uolo. quod aliter non potest fieri, nisi spatium habuero. id ut per te consequar, uelim, ut soler, tibi curae sit. ego me de rep. puto esse meritum, ut non provinciae istius beneficium exspectare debeam, sed tantum, quantum Cassius, & Bruti, non solum illius facti, periculiq. societate, sed etiam huius temporis studio, & uirtute. primus enim ego leges Antonianas fregi: primus equitatum Dolabellae ad remp. transduxi, Cassioq. tradidi: primus delectus habui pro salute omnium contra conuentionem sceleratissimam: solus Cassio, & reip. Syriam, exercitusque, qui ibi erant, coniunxi. nam, nisi ego tantam pecuniam, tantaq. praesidia, & tam celeriter Cassio dedissem; ne ausus quidem esset ire in Syriam; & nunc non minora pericula reip. a Dolabella instarent, quam ab Antonio. atque haec omnia is feci, qui & sodalis, & familiarissimus Dolabellae eram, coniunctissimus sanguine Antonijs; provinciam quoque illorum beneficio habebam: sed παρρηδία ἐμὴν μάλιστα φίλων, omnibus meis bellum primus indixi. haec etsi adhuc non magnopere mihi tulisse fructum animaduerto: tamen non despero, nec defatigabor permanere non solum in studio libertatis, sed etiam in labore, & periculo, attamen, si etiam aliqua gloria iusta, & merita prouocabimur, senatus, & optimi cuiusque officijs; maiore cum auctoritate apud ceteros erimus, & eo plus prodesse reip. poterimus. Filium tuum, ad Brutum cum ueni, uidere non potui, ideo quod iam in hiberna cum equitibus erat profectus: sed mediusfidius, ea esse eum opinione, & tua, & ipsius, & in primis mea causa gaudeo. fratris enim loco mihi est, qui ex te natus, teq. dignus est. Vale, D. IV. Kal. Iun. Pergae.

EXPLANATIO

LENTULVS? filius Lentuli Spintheris, ad quem sunt lib. 7. Ciceronis epistolae, augur erat, ut lib. xxxix. scripsit Dio, quaestor in Asiam profectus erat cum Trebonio proconsule. quo mortuo, praetoris nomen assumpserat, quo maiore auctoritate socijs imperare posset: nec tamen quaestoris officium intermiserat: itaque proquaestor uocabatur, ut inscriptio docet epistolae sequentis. **IN LYCIA**? quam postea Vespasianus, adempta libertate, in prouinciae formam redegit. Suetonius. **AMPLVSQ. centum naues onerarias,**? obfessas a classe Dolabellae, ut, exercitu in eas imposito, Italiam petere posset. ep. seq. **FRUSTRATA**? Cassio Syriam tenet. ep. 5. **PROFLIGATA EST**? minus est, quam, ad exitum perducta. de hoc uerbo supra diximus. **QVAM re uera furere eos inueni.** quod uero aliquid de his scripsi, totum hoc non erat in impressis libris: ego addidi ante multos annos, ex antiquo Vincentij Riccij libro: cum quo postea uidi consentire & Sigonij librum, & quattuor praeterea, quos nunc habeo. **NEC in me ullae priuatae iniuriae unquam.**? subaudi, Fuere. sic duo ueteres libri, & recte. **FUGIENTEM**? ex Pharsalica pugna, Caesar lib. III. de bel. ci. **PATREM meum,**? P. Lentulum, Spintherem. **L. LENTULVM,**? qui consul cum C. Marcello fuit anno primo ciuilibus belli. **POMPEIUM**? Magnum. **CONSULIBVS**? Pansae, & Hirtio: quos Lentulus, cum haec scriberet, obijisse nesciebat. **LAODICEAM,** quae est in Syria ad mare,? Laodiceae duae fuerunt, haec in Syria, quam lib. v. cap. 20. Plinius, & lib. XI. Strabo nominat: altera in Asia, quam idem Plinius infra, & Strabo lib. XII. Syriacam numquam uideo seiuinctam ab eius imperio, qui Syriae praeterat. Asiatica uero cum ad Asiae iurisdictionem attineret, interdum tamen Ciliciae rectoribus honoris gratia tribuebatur. notum est Ciceronis exemplum: cuius ex ep. 67. lib. XIII. ad Seruiliam Asiae proconsulem recitabo. Ex prouincia mea Ciliciensi, cui scis *ἡσπέρης διοικήσεως* Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiaris usus, quam Androne Laodicensi. Opinor tamen hanc Laodiceam tum disiungi solitam ab Asiae imperio, & adungi Ciliciae, cum & Asiae praetorius aliquis, & Ciliciam consularis administraret. alioqui fuisset ignominia, si uel a consulari ad consulare, uel a praetorio ad praetorium, multo etiam maior, si a consulari ad praetorium transferretur. **SPERO**? spem comprobauit euentus. Velleius, & alij. **TANTVM exercitum Cassij**? decem legiones. ep. 13. **QVAM reliquias meae diligentiae consequar,**? hoc paulo post

lo post explanatur. *QVI* mihi fidem, reiq. pub. non praestiterunt, } qui debitam pecuniam non soluerunt. ep. 7. lib. 1. si rex amicis tuis, qui per prouinciam imperij tui pecunias ei credidissent, fidem suam praestitisset. *PROVINCIAE istius*, } Asiae. & *Istius*, pro Huius: ut alibi quoque. *CASSIUS*, } C. Cassius. *BRVTI*, } Marcus, & Decimus. *ILLIVS facti, periculiq. societate*, } cum Caesarem occidimus. Plutarchus in Caesare, quosdam falso gloriatos esse de nece Caesaris, ait, quasi interfuissent: nominatq. hunc Lentulum, & Octauium quendam. *LEGES Antonianas* } quas consul M. Antonius tulerat. *FREGI*: } quia primus contra eas facere ausus est. abrogauit enim Pansa consul, non Lentulus, e sententia Ciceronis. Phil. v. *PROVINCIAM quoque illorum beneficio habebam*: } mihi non uidetur ullam prouinciam Lentulus habuisse, quippe qui Asiae administrationem sibi a consulibus demandari postulet: dixit enim supra: Rogo te, petas ab ijs, ut mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsum alteruter uenit. Prouinciam igitur usurpat pro quaestorio munere, sicuti cum dixit paullo ante: Mihi fuit ista prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. & infra: Quae extrema regio est prouinciae meae. Cum uero dicat, Illorum beneficio: annum superiorem proximum significat, quo M. Antonius consul fuit, fratres autem eius praetor Caius, tribunus pl. Lucius. nec uero ante idus Martias, quo die necatus est Caesar, iuit in prouinciam Lentulus: nam se affuisse, cum Caesar interficeretur, ipse testatus est ijs uerbis: Illius facti, periculiq. societate. Iuit igitur post Caesaris necem, Antoniorum beneficio: cum eorum uoluntate administrarentur omnia. *Πατριδα ἐμὴν μάλιστα φιλωῶν*, } patriam meam magis amans. *Integrum senarium recitat Plutarchus ἐν τῷ πολιτικῶν παραγγελμαῶν: Φιλῶ τεκν', ἀλλὰ πατριδ' ἐμὴν μάλιστα φιλωῶ.* quem dimidiatum, & parua quadam mutatione, Lentulus attulit. Hoc acceptum referatur philosopho praestantissimo, & elegantiori doctrina perpolito, uterrimo optimoq. amico, Octauiano Ferrario. *OMNIBVS. MEIS*: } Antoniis: quibus se esse sanguine coniunctissimum dixit. respexit fortasse ad prima duo uerba supradicti senarij: *φιλω τεκνα*. patriam enim ille filijs, Lentulus autem suis omnibus anteponendam putauit. *IN. HIBERNA* } anno superiore, quo Lentulus ad Brutum uenit. *OPINIONE*, } quam se habere de bonorum causa ostendit.

Argumentum ep. 15.

Ethic res a se gestas commemorat: in Rhodios inuehitur: de Dolabella optabilia significat. Eodem anno.

P. Lentulus P. F. pro quaes. pro praet. S. D. cos. praet. trib. pl. senatui, populo, plebiq. R. 15.

SI ualeatis, liberiq. uestri ualent, bene est: ego ualeo. Scelere Dolabellae oppressa Asia in proximam prouinciam Macedoniam, praesidiaq. reip. quae M. Brutus, uir clarissimus, tenebat, me contuli; & id egi, ut, per quos celerrime posset, Asia prouincia, uectigaliaq. in uestram potestatem redigerentur. quod cum pertinuisset Dolabella; & uastata prouincia, correptis uectigalibus, praecipue ciuibus R. omnibus crudelissime denudatis, ac diuenditis, celerius Asia excessisset, quam eo praesidium adduci potuisset: diutius morari, aut expectare praesidium non necesse habui; & quamprimum ad meum officium reuertendum mihi esse existimaui: ut & reliqua uectigalia exigere; & quam deposui, pecuniam colligerem; quidquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quamprimum, & nos de omni refacerem certiores. Interim, cum per insulas in Asiam nauiganti mihi nunciatum esset, classem Dolabellae in Lycia esse, Rhodiosq. naues complures instructas, & paratas in aqua habere: cum ijs nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiscus pro quaes. homo mihi cum familiaritate, tum etiam sensibus in rep. coniunctissimus, Rhodum reuerti, confisus auctoritate uestra, senatusq. consulto, quo hostem Dolabellam iudicatis, foedere quoque, quod cum ijs M. Marcello, Ser. Sulpicio cos. renouatum erat; quo

iurauerant Rhodij, eosdem hostes se habituros, quos senatus, populusq. R. quaeres nos uehementer sefellit. tantum enim adsuit, ut illorum praesidio nostram firmam remus classem, ut etiam a Rhodij urbe portu, statione, quae extra urbem est, comiteatu, aqua denique prohiberentur nostri milites, nos uix ipsi singulis cum nauigiolis reciperemur. quam indignitatem, deminutionemq. maiestatis non solum iuris nostri, sed etiam imperij, populiq. R. iccirco tulimus, quod, interceptis literis, cognoramus, Dolabellam, si desperasset de Syria, Aegyptoque, quod necesse erat fieri, in naues cum omnibus suis latronibus, atque omni pecunia conscendere esse paratum, Italiamq. petere; iccirco etiam naues onerarias, quarum minor nulla erat diuum millium amphorum, contractas in Lycia a classe eius obsideri. Huius rei timore P. C. percitus, iniurias perpeti, & cum contumelia etiam nostra omnia prius experiri malui. itaque ad illorum uoluntatem introductus in urbem, & in senatum eorum, quam diligentissime potui, causam reip. egi; periculumq. omne, quod instaret, si ille latro cum omnibus suis naues conscendisset, exposui. Rhodios autem tanta in prauitate animaduerti, ut omnes firmiores putarent, quam bonos; ut hanc concordiam, & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem pro-pense non crederent esse factam; ut patientiam senatus, & optimi

et optimi cuiusque manere etiam nunc confiderent, nec potuisse audere quemquam Dolabellam hostem iudicare; ut denique omnia, quae improbi fingebant, magis uera existimarent, quam quae uere facta erant, & a nobis docebantur, qua mente etiam ante nostrum aduentum post Trebonij indignissima caedem, ceteraq. tot, tamq. nefaria facinora, binas profectae erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem nouo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus ijs, qui tum magistratus gerebant. haec siue timore, ut dicitant, de agris, quos in continenti habent, siue furore, siue potentia paucorum, qui & antea pari contumelia uiros clarissimos affecerant, & nunc maximos magistratus gerentes, nullo exemplo, ne quae uestra ex parte, neque nostro praesentium, neque imminenti Italiae, ubiq. nostrae periculo, si ille parricida cum suis latronibus nauibus, ex Asia Syriaq. expulsus, Italiam perisset: mederi, cum facile possent, uoluerunt. nonnullis etiam ipsi magistratus uenebant in suspicionem, detinuisse nos, & demorati esse, dum classis Dolabellae certior fieret de aduentu nostro. quam suspicionem consecratae res aliquot auxerunt, maxime quod subito ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius legati Dolabellae, a classe discesserunt, nauisq. longa profugerunt, onerarijs relictis, in quibus colligendis non minimum temporis, laborisq. consumpserunt. itaque, cum Rhodo cum ijs, quas habueramus, nauibus in Lyciam uenissimus, naues, onerarias recepit, dominisq. restitimus: ijdemque, quod maxime uerebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam uenire, timere desinuit: classis fugientem persecuti sumus usque Sydam: quae extrema regio est prouinciae meae: ibi cognoui partem nauium Dolabellae diffugisse, reliquas Syriam, Cyprumq. perisse. quibus disiectis, cum scirem C. Cassi,

singularis ciuis, & ducis, classem maximam fore praesto in Syria, ad meum officium reuerti: daboq. operam, ut meum studium, & diligentiam uobis P. C. & reip. praesentem, pecuniamque, quam maximam potero, & quam celerrime, cogam, omnibusq. cum rationibus ad uos mitam. si percurrero prouinciam; & cognouero, qui nobis, & reip. fidem praestiterunt in conseruanda pecunia a me deposita; quiq. scelere, ulro deferentes pecuniam publicam; hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt: faciam uos certiores. de quibus, si uobis uidebitur, si, ut meriti sunt, grauiter constitueritis; nosq. uestra auctoritate firmaueritis: facilius & reliqua exigere uectigalia, & exacta seruare poterimus. interea, quo commodius uectigalia tueri, prouinciamq. ab iniuria defendere possim, praesidium necessarium, uoluntariumq. comparau. His litteris scriptis, milites circiter xxx, quos Dolabella ex Asia conscripserat, e Syria fugientes in Pamphylia uenerunt. hi nunciauerunt, Dolabellam Antiochiam, quae in Syria est, uenisse, non receptum: conatum esse, aliquoties ut introire, repulsum semper esse cum magno suo detrimento: itaque, centum circiter amissis, aegrisq. compluribus relictis, noctu Antiochia profugisse Laodiceam uersus: ea nocte omnes fere Asiatos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Antiochiam redisse. & se ijs tradidisse, qui, a Cassio relictis, urbi illi praerant: ceteros per Amanum in Ciliciam descendisse: quod ex numero se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copijs, nunciatum esse, quatri-dui iter a Laodicea abfuisse tum, cum Dolabella eo tenderet. quam obrem opinione celerius, confido, sceleratissimum latronem poenas daturum. **IV. non. Iun. Pergae.**

EXPLANATIO

P. F. P. Lentuli Spintheris filius. quamquam, a Torquato esset adoptatus, ut ait Dio: a quo tamen nec praenomen, nec cognomen sumpsit: quippe cum ea tantum causa sit adoptatus, ut augur esse posset. **PROQUAES. PROPRAET.** quaestor fuit, uiuo proconsole Trebonio: eo mortuo, proquaestoris, & propraetoris nomen assumpsit, praesidio comparato, ut prouinciam ab iniuria defendere posset. **infra.** **SCELERE.** & quod alienam prouinciam hostili more inuasit: & quod Trebonium, cum quo familiarissime collocutus erat, uiolata fide occidit. **OPPRESSA. ASIA.** Smyrna capta. **VIR clarissimus.** eadem laus in adolescentem conuenit. **PHILIO. ADDUCI.** a me. **AD meum officium.** quod sequentibus uerbis explanatur. **VECTIGALIA exigere.** pecuniae cura ad quaestorem pertinebat. **ep. 17.** **PROQUAES.** ipsius Lentuli, post obitum Trebonij. **IVRAVERANT.** hoc in omnibus foederibus obseruatum animaduerti. **PORTU, statione.** differunt: nam portus tutior, quam statio. **Virg. lib. 2. Aen.** nunc tantum sinus, & statio male fida carinis. **NAUES onerarias.** **ep. 14.** **DVVM millium amphorum.** antiquissimus grammaticus Iulius Romanus admonuit, Amphorum, dici, cum additur numerus; Amphorarum, per se: ut est apud Carisium. **TREBONII.** Dolabella occisi. **ep. 12.** **HAEC.** non est, a quo uerbo regatur: & subaudiri uidetur, faciunt. nonnulli ueteres libri habent: Hoc siue timor est, ut dicitant, agris, quos in continenti habent, siue furor, siue patientia paucorum. &c. Omnes autem scripti libri, Patientia, non Potentia: sed, Potentia, magis placet, licet, ut opinor, ex ingenio sit. **VIROS clarissimos.** Lentulum, & Pompeium. **ep. 14.** **MAXIMOS magistratus gerentes.** qui antea pari contumelia uiros, clarissimos affecerant, ijdem nunc maximos magistratus cum gerant, nullo exemplo &c. **infra.** Ipsi magistratus. **NULLO exemplo.** maiorum suorum. **NEQUE uestra ex parte.** neque studio uestrarum partium. **ILLE parricida.** Dolabella. **MEDERI, cum facile possent uoluerunt.** sic duo ueteres libri: reliqui, Noluerunt. sed Latini sermonis consuetudo postulat, Voluerunt. non enim dicitur: Neque nostro praesentium, neque imminenti Italiae periculo mederi noluerunt. Nam id esset, Mederi uoluerunt: cum ex geminata negatione fiat affirmatio. **PROFUGERUNT.** aduentus nostri timore. ideo nos demorati erant Rhodij, ut spatium fugiendi legati Dolabellae daretur. **VSQVE SYDAM.** ultra non licuit. nam prouinciae fines praeterire leges uetabant. Syda uero in Pamphylia fuit: & Pamphylia ad imperium Asiae pertinuit: quod paullo post intelligitur.

Argumentum ep. 16.

Gratulatur de filij Ciceronis indole ad uirtutem: uersus mittit, in ciuem improbum a se conscriptos: petit, ut includatur in scripta Ciceronis de Caesaris interitu. Antonio, & Dolabella cos.

C. Trebonius S. D. Ciceroni. 16.

Si uales, bene est. Athenas ueni ad xi. Kal. Iun. at-
que ibi, quod maxime optabam, uidi filium tuum,
deditum optimis studijs, summaq. modestiae fama. qua
ex re quātam uoluptatem ceperim, scire potes etiam me
tacente. non enim nescis, quanti te faciam, & quam pro
nostro ueterimo, uerissimoq. amore omnibus tuis etiam
minimis commodis, non modo tanto bono, gaudeam.
Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. nihil
adolescente tuo, atque adeo nostro. (nihil enim mihi a te
potest esse seiunctum) aut amabilius omnibus ijs, qui
Athenis sunt, est, aut studiosius earum artium, quas tu
maxime amas hoc est, optimarum. itaque tibi, quod ue-
re facere possum, libenter quoque gratulor, nec minus
etiam nobis; quod eum, quem necesse erat diligere, qual-
iscumque esset, talem habemus, ut libenter quoque
diligamus. qui cum mihi in sermone inieciisset, se uelle
Asiam uisere; non modo inuitatus, sed etiam rogatus
est a me, ut id potissimum, nobis obtinentibus prouin-
ciam, faceret. cui nos & caritate, & amore tuum offi-
cium praestatueros, non debes dubitare. illud quoque erit
nobis curae, ut Cratippus una cum eo sit; ne putes in
Asia feriatum illum ab ijs studijs, in quae tua cohorta-
tione incitatur, futurum. nam illum paratum, ut uideo,

et ingressum pleno gradu, cohortari non intermitterem,
quo in dies longius, discendo, exercendoq. se, procedat.
Vos quid ageritis in rep. cum has litteras dabam, non
sciebam. audiebam quaedam turbulenta: quae scilicet
cupio esse falsa; ut aliquando otiosa libertate fruamur:
quod uel minime adhuc mihi contigit. ego tamen, nactus
in navigatione nostra pusillum laxamenti, concinui ti-
bi munusculum ex instituto meo; & dictum, cum ma-
gno nostro honore a te dictum, conclusi, & tibi infra sub-
scripsi. in quibus uersiculis si tibi quibusdam uerbis
εὐδὸν πορεύεσθε εἰς ἐγὼς uidebor: turpitudine personae eius, in
quam liberius inuehimur, nos uindictabit. ignosces etiam
iracundiae nostrae, quae iusta est in eiusmodi & homi-
nes, & ciues. deinde, qui magis hoc Lucilio licuerit assu-
mere libertatis, quam nobis? cum, etiam si odio par fue-
rit in eos, quos laesit, tamen certe non magis dignos ha-
buerit, in quos tanta libertate uerborum incurreret. Tu,
sicut mihi pollicitus es, adiunges me quamprimum ad
tuos sermones, namque illud non dubito, quin, si quid de
interitu Caesaris scribas, non patiaris me minimam par-
tem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem meamq.
tibi commendatos habe. D. I. I. X. Kal. Iun. Athenis.

EXPLANATIO

TREBONIUS? proconsul ibat in Asiam prouinciam. tribunus pl. Pompeio & Crasso iterum cos.
legem tulerat de prorogandis Caesaris Gallijs in alterum quinquennium: postea praetor fuerat anno
secundo ciuili bello: consullem sibi eum Caesar in quarto consulatu cum Q. Fabio Maximo suffecit usque ad
exitum anni. **OBTINENTIBVS?** consulari imperio. Phil. 10. Consularem hominem, consulari im-
perio prouinciam Asiam obtinentem, Samiario exsuli tradidit. **CRATIPPVS?** qui philosophiam pe-
ripateticam eximia cum laude Athenis docebat. ep. 21. lib. xvi. & lib. 1. & 3. de off. **PLENO gradu?** qui
auctore Vegetio, parum distat a cursu. Sallustius in Jug. Dispersos milites in unum contrahit, dein cun-
ctos pleno gradu in collem subducit. Liuius autem lib. xxxiv. differre plenum gradum a cursu satis osten-
dit. Pleno, inquit, gradu ad castra hostium oppugnanda succedere iubet: si quis extra ordinem au dius pro-
currit, interequitas sparo percutit. Ibidem: secundam legionem, ceteris omnibus effusis, ad sequendos ho-
stes, pleno gradu sub signis compositam instructamq. subire ad portam castrorum iussit. Idem lib. 14. pe-
ditum instructam aciem pleno gradu in aciem inducit. Et lib. x. Vbi nemo obuius ibat, pleno gradu ad ca-
stra hostium tendunt. **QVAEDAM turbulenta?** uera: nam consul Antonius liberatam Caesaris intre-
ritu temp. rursus opprimere conabatur. **LAXAMENTI,** otij, uacui temporis a negotijs. **MVNVS**
CVLVVM? librum. ep. 21. lib. xv. **DICTVM?** librum scripserat Trebonius de dictis Ciceronis.
Eiusdem dicta in tres libros libertus eius Tiro collegit, uel potius congescit. nam Quintilianus lib. vi. cap.
3. de risu, Utinam, inquit, libertus eius Tiro, aut alius, quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius
dictorum numero indulsissent, & plus iudicij in eligendis, quam in congerendis, studij adhibuissent minus
obiectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni eius ingenio, facilius, quid reijci, quā
quid adijci possit, inueniunt. **CVM magno nostro honore a te dictum,** ergo non omnia Ciceronis di-
cta, sed ea tantum, quae Trebonij cum honore dixerat, in eo libro continebantur. Dicere dicta, uilitatum
apud Ciceronem. **CONCLVSI,** non simpliciter ipsa Ciceronis dicta posuerat; sed praefatus nonnulla
la, in extremo dicta subiunxerat, quod ep. 21. lib. xv. Cicero declarat his uerbis: Ante quam ad me uenire-
tur, risus omnis pacne consumitur, **TIBI infra subscripsi,** subscripsi nomen tuum. **VERSICVLVS?**
non

non poeticis, uerum oratione soluta. nam utrique uersus dicuntur. *Εὐθυρόμορον ἑεος* } apertior in loquen-
do. ep. 22. lib. IX. *ἄσπετος εὐθυρόμορον ἑεον*. PERSONAE eius, } fortasse M. Antonij. VINDI-
CABIT. } defendet. LVCILIO } poetae Satyrico, in multos liberius inuictio. PAR } mihi: cum
aeque illos, ut ego hunc, oderit. AD, TVOS sermones. } dialogos: in quos includi uolebat. NON
dubito, quin non patiaris } mihi certum est passurum te non esse. ME minimam partem & rei, & amoris
tui ferre. } non patieris extremo loco me collocari inter eos, qui Caesarem occiderunt, & qui a te diligen-
tur. laudabis me neque minimum, neque uulgari cum indicio beneuolentiae tuae.

Argumentum ep. 17.

Cornificio, Africam regenti, uiuo adhuc Caesare, uaria scribit, de ru-
moribus e Syria allatis, de otio ciuitatis, de Oratore a se scripto, de suo
erga illum studio. Q. Fabio Maximo, C. Trebonio cos.

Cicero S. D. Q. Cornificio collegae. 17.

GRATA mihi uehementer est memoria nostri tua, *ἔτιμ* hominem a non indocto, paullulum dissidere. huic
quam significasti litteris: quam ut, conferues, non tu libro maxime uelim ex animo; si minus, gratiae caus-
quo de tua constantia dubitem, sed, quia mos est ita ro- sa suffragere. dicam tuis, ut eum si uelint, describant,
gandi, rogo, Ex Syria nobis tumultuosiora quaedam ad req. mittant. puto enim, etiam si rem minus proba-
nunciata sunt: quae, quia tibi sunt propiora, quam no- bis, tamen in ista solitudine, quidquid a me profectum
bis, tua me causa magis mouent, quam mea. Romae sit, incundum tibi fore. Quod mihi existimatione tuam
sumum otium est, sed ita, ut malis salubre aliquod, dignitatemq. commendas: facis tu quidem omnium mo-
& honestum negotium, quod spero fore, quia uideo id re: sed uelim sic existimes, me cum amori, quem inter
curae esse Caesari. Me sciro, dum tu absis, quasi occasio- nos mutuum esse intelligam, plurimum tribuere, tum
nem quandam, & licentiam nactum, scribere audacius, de summo ingenio, & de optimis tuis studijs, & de spe
& cetera quidem fortasse, quae etiam tu concederes: amplissimae dignitatis ita iudicare, ut neminem tibi an-
sed proxime scripsi de optimo genere dicendi: in quo sae- teponam, comparem pau cos. Vale.
pe suspicatus sum te a iudicio nostro, sic scilicet, ut do-

EXPLANATIO

COLLEGAE. } in auguratu. MOS est ita rogandi, } uide ep. 29. lib. XI. TVMVLTVSIOIRA
quaedam } seditionem faciente Q. Caecilio Basso, qui postea se cum legione C. Cassio tradidit. ep.
11. & 18. lib. XLVII. & ad Att. ep. 9. lib. XIV. & Strabo lib. XVI. TIBI sunt propiora, } cum in Africa sis. ep.
21. 26. 27. SALVBERE } cum salute reip. VIDEO id curae esse Caesari. } uideo Caesarem de con-
stituenda rep. cogitare. DE OPTIMO genere dicendi: } quem librum, Orator, inscripsit. ep. 18. lib.
VI. & ep. 20. lib. XV. VT doctum hominem } scripsit & Cornificij de arte Rhetorica, ut auctor est Quinti-
lianus lib. III. DISSIDERE. } non solum Cornificio, sed etiam M. Bruto parum probata est de op-
timo genere dicendi Ciceronis opinio. ep. 20. ad Att. lib. XIV. Cum scripsissem ad Brutum de optimo genere
dicendi, non modo mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari. Disserebant au-
tem, nisi fallor, in eo, quod elocutioni Cicero tribuebat plurimum, Brutus autem rebus haud paullo plus,
quam uerbis. IN ISTA solitudine, } solitudine potius, quam sollicitudine, e tribus antiquis libris,
& e sensu legendum putauit. dixit enim solitudine, pro, Summo otio: quod apertius sequenti epistola: Et si,
inquit, perimiquo patiebar animo te a me digre. si: tamen eo tempore me consolabar, quod & in sumum
otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs discedere.

Argumentum ep. 18.

Pergat se de infrequentia litterarum: prudentiam Cornificij, grauita-
temq. laudat: praesentem reip. statum, cum in excusatione Caesaris, ac-
cusat. Eodem anno.



Cicero S. D. Cornificio collegae. 18.

QUOD extremum fuit in epistola, quam a te proxime accepi, ad id primum respondebo. animaduerti enim hoc nos magnos oratores facere nonnumquam. Epistolas requiris meas. ego autem numquam, cum mihi denunciatum esset a tuis ire aliquem, non dedi. Quod mihi uideor ex tuis litteris intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec ante, quam scisses, quo iste nescio qui Caecilius Bassus erumperet, quidquam certi constitutum: id ego & speraram, prudentia tua fretus; & ut considerem, fecerunt tuae grauissimae litterae, idque ut facias quam saepissime, ut, & quid tu agas; & quid agatur, scire possim, & etiam quid acturus sis, ualde te rogo: Esti periniquo patiebar animo te a me digredi: tamen eo tempore me consola-

bar, quod & in summum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs discedere. utrumque contra accidit: illic enim bellum est exortum, hic pax consecuta, sed eiusmodi pax, in qua, si adesses, multate non delectarent, ea tamen, quae ne ipsum Caesarem quidem delectent. BELLORVM enim civilium is semper exitus sunt, ut non ea solum fiant, quae uelit uictor, sed etiam ut is mos gerendus sit, quibus adiutoribus parta sit uictoria. equidem sic iam obdurui, ut ludis Caesaris nostri aequissimo animo uiderem T. Plancum, audirem Laberij, & Publij poemata: nihil tam deesse scio, quam qui cum haec familiariter docteq. uideat, is tu eris, si quamprimum ueneris. quod ut facias, non mea solum, sed etiam tua interesse arbitror. Vale.

EXPLANATIO

VOS magnos oratores } tale illud, Noui ego uos magnos Patronos, ep. 14. lib. 2. FACERE nonnumquam. } in agendis causis: cum ad extrema primum respondeatis. CAECILIUS Bassus } totam historiam uide apud Dionem lib. XLVII. ISTIC? in Syria, Caecilij Bassi opera. IIS mos gerendus sit, quibus adiutoribus parta sit uictoria. } eadem sententia ep. 9. lib. 1 v. Multa uictori eorum arbitrio, per quos uicit, etiam inuito facienda sunt. OB DURUI, } consuetudine malorum. Callere, ep. 5. lib. IV. Callum obducere, ep. 2. lib. IX. LVDIS } quos Caesar dedit uictor ex Hispania reuerfus. Suetonius. T. PLANCVM, } Bursam, Ciceronis inimicum, lege de ui stante rep. damnatum, a Caesare restitutum. ep. 2. lib. VII. LABERII, & Publij poemata. } mimos. de Laberio diximus ep. 11. lib. VII. contendisse cum Laberio sene iuuenem Publum, ait Macrobius lib. 2. Sat.

Argumentum ep. 19.

GRatulatur de Syriae administratione illi a Caesare mandata: eamque optat a Parthico bello uacuum: quod si bellum sit, exemplum ei proponit M. Bibuli, qui se opido munitissimo tenuerat, quamdiu Parthi in prouincia fuerunt. Eodem anno.

Cicero S. D. Cornificio. 19.

LIBENTISSIME legi tuas litteras: in quibus iucundissimum mihi fuit, quod cognoui meas tibi redditas esse. non enim dubitabam, quin eas libenter lecturus esses: uerebar, ut redderentur. Bellum, quod est in Syria, Syriamque prouinciam tibi tributam esse a Caesare, ex tuis litteris cognoui. eandem rem tibi uolo bene, & feliciter euenire. quod ita fore confido, fretus & industria, & prudentia tua. Sed de Parthici belli suspicionem quod scribis, sane me commouit. quantum copiarum haberes, cum ipse coniectura consequi poteram, etiam ex tuis litteris cognoui. itaque opto, ne se illa gens mo-

neat hoc tempore, dum ad te legiones eae perducantur, quas audio duci. quod si pares copias ad configendum non habebis; non te fugiet uti consilio M. Bibuli, qui se opido munitissimo, & copiosissimo tamdiu tenuit, quamdiu in prouincia Parthi fuerunt. Sed haec melius ex te, & ex tempore constitues. mihi quidem usque curae erit, quid agas, dum, quid egeris, sciero. Litteras ad te nunquam habui cui darem, quin dederim. a te, ut idem facias, pero, in primisque, ut ita ad tuos scribas, ut me tuum sciant esse. Vale.

EXPLANATIO

VEREBAR, ut redderentur. } de uerbo, Vereor, uide quae diximus. ep. 1. lib. 2. EANDEM } eam rem, quo diligentius in sententiam intueor, eo magis placet. INDUSTRIA, } uirtus est, quae uersatur in agendo. ep. 9. lib. XIII. M. BIBULI } qui Syriae praefuerat eo anno, quo Cicero Ciliciae. ep. 11. 17. lib. 2. & ep. 13. 1. lib. XV. Dio lib. XL. QUI se opido munitissimo tamdiu tenuit, quamdiu in prouincia Parthi

cia Parthi fuerunt. } eadem sententia ep. 8, ad Att. lib. vi. Ego, nisi Bibulus, qui, dum unus hospes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo sua; adniteretur de triumpho, aequo animo essem. Et ad eundem ep. 2. lib. vi. illum, qui pedem porta, quo ad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit.

Argumentum ep. 20.

Iocatur, quia Sinuessanae uillae hospitio Cornificius uti noluerat; & crebras ab eo litteras petit. Scripta uidetur haec epistola eo tempore, cum in Africam prouinciam Cornificius iret.

Cicero S. D. Cornificio collegae. 20.

GRATAE mihi tuae litterae, nisi quod Sinuessanum diuersorium contempsi. quam quidem contumeliam uilla pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano, & Pompeiano reddideris *πᾶντα περὶ πάντων*. scigitur facies; meq. amabis, & scripto *ἄλλο* lacef- ses. ego enim respondere facilius possum, quam prouocare. quod si, ut es, cessabis: laceffam; nec tua ignauia etiam inertiam asferet. Plura otiosus. haec, cum essem in senatu, exaravi. Vale.

EXPLANATIO

IN CUMANO, & Pompeiano } in Cumana, & Pompeiana Ciceronis uilla. **REDDIDERIS** *πᾶντα περὶ πάντων*. } ubi quid est praetermissum, plena compensatio demonstratur his uerbis, *πᾶντα περὶ πάντων*, addito uerbo ad sententiam accommodato, ut ep. 17. lib. xv. **EXPECTA** *πᾶντα περὶ πάντων*. **UT ES**, } quae tua consuetudo est. **NEC** tua ignauia etiam inertiam asferet. } scientiam auget exercitatio, negligentia minuit. non agendo enim efficitur, ut male agere dediscamus. quapropter ignauia parit inertiam, id est agendi inscientiam. ep. 8. lib. iix. Siue negligentia, siue inertia est. **EXARAVI**. } Exarare, est raptim scribere. ep. 26. lib. ix.

Argumentum ep. 21.

Anicium senatorem, eiusq. negotia, & dignitatem commendat. Incertus annus.

Cicero S. D. Cornificio. 21.

CANICIVS, familiaris meus, uir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum causa legatus est in Africam, legatione libera. cum, uelim, rebus omnibus adiuues; operamq. des, ut quam commodissime sua negotia conficiat. in primisque, quod ei carissimum est, dignitatem eius tibi commendo: idq. a te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem, acceperam, & cognoueram, a summis uiris factitatum. hoc igitur mi Cornifici facies: ceterisq. rebus omnibus eius dignitati, rei que, si me amas, consules. id erit mihi gratissimum. Da operam, ut aaleas.

EXPLANATIO

LEGATIONE libera. } senatoribus ad sua negotia proficiscentibus concedi solita. ep. 1. lib. xi. & ad Att. ep. 18. lib. 2. & ep. 12. lib. xv.

Argumentum ep. 22.

Narrat de statu reip. post Caesaris interitum: hortatur, ut prouinciam retineat in potestate reip. Antonio, & Dolabella cos.

Cicero

Nos hic eum homine gladiatore, omnium nequissimo, collega nostro, Antonio bellum gerimus, sed non pari condicione, contra arma uerbis. at etiam de te concionatur: nec impune: nam sentiet, quos lacestierit. ego autē acta ad te omnia arbitror perscribi ab alijs: a me futura debes cognoscere: quorum quidem non est difficilis coniectura. Oppressa omnia sunt: nec habēt ducenti boni: nostri *τὸν γὰρ οὐκ ὄντων* longe gentium absunt. Pansa & sentit bene, & loquitur fortiter. Hirtius nosser tardius conualescit. quid futurum sit, plane nescio. spes tamen una est, aliquando populum R. maiorum similem fore. ego certe reip. non deero: & quidquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram. illud profecto, quoad potero, tuam famam, & dignitatem tuebor. Ad XIII. Kal. Iun. senatus frequens mihi est

assensus cum de ceteris rebus magnis, & necessarijs, tum de prouincijs ab ijs, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex S. C. successisset. hoc ego cum reip. causa censui, tum mehercule in primis retinendae dignitatis tuae. quamobrem te amoris nostri causa rogo, reip. causa horror, ut ne cui quidquam iuris in tua prouincia esse patiari, atque ut omnia referas ad dignitatem; qua nihil potest esse praestantius. Vere tecum agam, ut necessitudo nostra postulat: in Sempronio, si meis litteris obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. sed illud & praeterijt, & leuius est; haec magna res est. fac ut prouinciam retineas in potestate reip. Plura scripsissem: nisi tui festinarent: itaque Cherippa nostro me uelim excuses. Vale.

EXPLANATIO

HOMINE gladiatore, } sanguinatio, & in hominum caedem, more gladiatorum, exercitato. **C**OLLEGA nostro, } in auguratu. ep. 14. lib. IIX. & ad Att. ep. 14. lib. X. Phil. 2. & Plutarchus. Alij, Vestro, legunt historia refragante. nam ueteres libri utrumque habent. **C**ONTRA arma } Stipatus enim armatis hominibus incedebat Antonius consul. ep. 2. lib. X. Phil. 2. *τὸν γὰρ οὐκ ὄντων* } qui tyrannum occiderunt. **L**ONGE gentium absunt, } M. Brutus in Graecia, C. Cassius in Syria. **P**ANSA } consul designatus cum Hirtio. **C**ONUALESKIT, } aegrotauit Hirtius grauius paulo ante quam iniret consulatum, sic, ut pro eius salute populus R. uota fecerit. Phil. 7. & 14. **S**IMILEM fore, } in tuenda libertate. Ad XIII. Kal. Iun. } ep. 6. lib. XI. ep. 25. huius lib. Phil. 14. **M**IHI est senatus assensus } censuit hoc Cicero in Phil. 3. **D**E P. PROVINCIIS } ep. 25. **R**ETINENDAE dignitatis tuae, } ne C. Calpurnius in Africam iret, ei traditam ab Antonio, sine S. C. **I**N SEMPRONIO } ep. 25. **E**XCVSES, } quod ei non rescripsi.

Argumentum ep. 23.

Primum respondet ad ea, quae de prouincia Cornificij a Stratorio cognouerat: deinde quasi formam reip. mittit: postremo philosophiam, & Stratorium laudat. Antonio, & Dolabella eos.

OMNEM condicionem imperij tui, statumque prouinciae mihi demonstrauit Stratorius. o multa intolerabilia locis omnibus. sed, quo tua maior dignitas, eo, quae tibi acciderunt, minus ferenda. neque enim, quae tu propter magnitudinem & animi, & ingenij moderate fers, a te non ulciscenda sunt, etiam si non sint dolenda. Sed haec posterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio, quod ni ita putarem, ipse perscriberem, in primisq. Caesaris Octauiani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen uidetur, ut in pecuniam adolescentis imperum faceret. prudentes autem, & boni uiri & credunt factum, & probant. quid quaeris? magna spes est in eo. nihil est, quod non existimetur laudis, & gloriae causa futurus. Antonius autem, nosser familiaris, tanto se odio esse intelligit, ut, cum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat. Ad VII. id. Oct. Brundisium uenerat, profectus obuiam legionibus Macedonicis quattuor:

quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere & in ceruicibus nostris collocare. Habes formam reip. si in castris potest esse resp. in qua tuam uicem saepe doleo, quod nullam partem per aetatem sanae & saluae reip. gustare potuisti. atque ante hac quidem sperare saltem licebat; nunc etiam illud ereptum est. quae enim spes est, cum in concione dicere ausus sit Antonius, Canutium apud eos locum sibi quaerere, quibus, se saluo, locus in ciuitate esse non posset? Equidem & haec, & omnia, quae homini accidere possunt, sic fero, ut magnam habeam philosophiae gratiam, quae me non modo a sollicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunae impetus armat. tibiq. idem cenfeo faciendum, nec, a quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. Sed haec tu melius. Stratorium nostrum cum semper probassem, tum maxime in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudentiamque cognoui. Da operam, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

EXPLA-

EXPLANATIO

STRATORIVS. } fortasse legendum, Statorius, ex Felto in Lacus Lucrinus. **LOCIS omnibus.** } Non modo Romae, sed etiam in Africa. **QVAE tibi acciderunt.** } Dio lib. XLIII. prodidit, T. Sextium, Numidiae rectorem, impetu in Africam facto Adrumetum cepisse, & aliquanto post, Cornificiumq. proelio victum occidisse. **CONATVM.** } pro rep. uide ep. 28. lib. x. ep. 7. lib. XI. **MVLTIPLVDINI factum ab Antonio crimen uidetur.** } dicebat Antonius, comprehendisse se domi suae quos ad se occidendum Octavianus misisset. id ab Antonio fictum, uulgo putabatur, ut ex eo caperet occasionem impetum faciendi in Octauiani pecuniam. **PECUNIAM adolescentis.** } testamento ei a Caesare relicta. **CRE DVNT factum.** } fictum non putant, ut multitudo, sed uere missos ab Octauiano credunt, qui Antoniũ domi suae interficerent. quod Suetonius quoque confirmat in Augusto. Hortantibus, ait, nonnullis, percussores ei subornauit. hac fraude deprehensa, periculum, inuicem metuens, ueteranos simul in suum ac reip. auxilium quanta potuit largitione contraxit. **QVID quaeris?** } simile illud ep. 4. lib. IV. Noli quaerere. Nec illud ualde diuersum, ep. 3. lib. X. Quaeres, quanti faciam. **NOSTER familiaris.** } olim. ep. 15. lib. XI. ep. 23. lib. XVI. **INTERFECTORES suos.** } ab Octauiano missos. **MACEDONICIS.** } ex Macedonia profectis. ibi enim Caesar eas collocarat, ducturus in Parthos, quibus inferre bellum cogitabat. **QUATTUOR.** } Martiam, Quartam, Secundam, Trigesimaliquintam, quarum duae, Martia, & Quarta, illum sequi noluerunt, seq. Octauiano tradiderunt, ut ep. 7. lib. XI. in Phil. 3. & in alijs, & in Velleio lib. 2. & in Dione lib. XLV. reliquae uero duae, id est secunda, & Trigesimaliquinta, pro eo contra Panfam proelio Mutinensi pugnauerunt ut ep. 30. lib. X. **QUATTUOR.** } Appianus lib. III. scripsit, sex fuisse Macedonicas legiones: quarum unam Antonium Dolabellae, collegae suo, in Syriam proficiscenti concessisse: reliquas ipsam accepisse. quod si ita est: legendum hic uidetur, Quinque, non Quattuor: ut Antonius duabus quidem in proelio ad Mutinam sit usus, unam uero castris praefidio reliquerit: quae fortasse fuit Alaudarum legio, quam cum Antonio fuisse Cicero ostendit ep. 7. ad Att. lib. XVI. ita quinque legionũ numerus reperietur. **IN. CERVICIBVS nostris collocare.** } cum libertatem armis uellet opprimere. ep. seq. **CANTIVM.** } tribunum pl. **APVD eos.** } apud eos, qui partibus reip. studerent. ep. 3. **LOCVM sibi quaerere.** } quid concionibus Antonium uexaret.

Argumentum ep. 24.

Cornificium hortatur, ut omni cura in remp. incumbat: scribit de legatis ad Antonium a senatu missis: Pinarium commendat. Hirtio, & Panfa cos.

Cicero S. D. Cornificio. 24.

EGO nullum locum praetermitto (nec enim deo) non modo laudandi tui, sed ne ornandi quidem. sed mea studia erga te, & officia malo tibi ex tuorum litteris, quam ex meis, esse nota. Te tamen hortor, ut omni cura in remp. incumbas. hoc est animi, hoc est ingenij tui, hoc eius spei, quam habere debes amplificandae dignitatis tuae. Sed hac de re alias ad te pluribus. cum enim haec scriberem, in expectatione erant omnia. nondum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset. ego tamen, ut primum occasio data est, meo pristino more remp. defendi: me principem senatui, populoq. R. professus sum: nec, postea quam suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendae salutis, libertatisq. communis. Sed haec quoque te ex alijs malo. T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut maiore non possim: cui cum propter omnes uirtutes, tum etiam propter studia communia sum amicissimus. is procurat rationes, negotiaq. Dionysii nostri, quem & tu multũ amas, & ego omnium plurimum. ea tibi ego non debeo commendare, sed commendo tamen. facies igitur, ut ex Pinarij, gratissimi hominis, litteris tuum & erga illum, & erga Dionysium studium persiciamus. Vale.

EXPLANATIO

LEGATI. } missi ad Antonium a senatu, ut Mutinae obsidionem omitteret. ep. 8. lib. XI. ep. 4. huius lib. **UT primum occasio data est.** } XIII. Kal. Ian. ep. 22. 25. **NEC minimum tempus amisi tuendae salutis, libertatisq. communis.** } idem aliter ep. 24. lib. IX. Sic tibi mi Paete persuade, me dies, & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei ciues salui, liberiq. sint. **PINARIUM.** } Pinarij, gens antiquissima, ante urbem conditam. Liuius lib. I. **DIONYSII nostri.** } opinor esse, qui nominatur ep. 15. lib. IV. ad Att.

Argu-

Argumentum ep. 25.

Scribit, S. C. esse factum ex litteris Cornificij: hortatur ut reip. causam defendat: Luccio se nulla re defuturum pollicetur. Eodem anno, consulis interfectis.

Cicero S. D. Cornificio. 25.

LIBERALIBVS litteras accepi tuas, quas mihi Cornificius altero uicesimo die, ut dicebat, reddidit, eo die non fuit senatus, neque postero. Quinquatribus, frequenti senatu, causam tuam egi, non iniurata Minerva. etenim eo ipso die senatus decreuit, ut Minerva nostra, Custos urbis, quam turbo deiecerat, restitueretur. Parsa tuas litteras recitauit. magna senatus approbatio consecuta est, cum summo gaudio, & offensione Minotauri, id est Clauisii, & Tauri, factum de te S. C. honorificum. postulabatur, ut etiam illi notarentur: sed Parsa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, & cunctantibus ceteris, ad XII. Kal. Ian. fundamenta reip. ieci; eo ipse die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuae. mihi enim est assensus senatus de obtinendis prouincijs. nec uero postea desisti labefactare eum, qui summa cum tua iniuria, contumeliaq. reip. prouinciam absens obtinebat. itaque crebras, uel potius quotidianas compellationes meas non tulit, sed, in urbem recepit inuitus; neque solum spe, sed certa re iam, & possessione perturbatus est, meo iustissimo, honestissimoq. conuicio. Te tua dignitatem summa tua uirtute tenuisse, prouinciaeq. honoribus amplissimis affectum, uehementer gaudeo. Quod te mihi de Sempronio purgas: accipio excusationem. fuit enim illud quoddam caecum tempus seruitutis. Ego tuorum consiliorum auctor dignitatisq. fautor, iratus temporibus, in Graeciam, desperata libertate, rapiebar; cum me Etesiae, quasi boni ciues, relinquentem temp. prosequi noluerunt. Austerq. aduersus maximo flatu me ad tribules tuos Rbegium rerulit: atque inde uentis. remisq. in patriam omni festinatione properaui; posttridieq. in summa reliquorum seruitute liber unus fui: sic sum in Antonium inuectus,

ut ille non ferret, omnemq. suum uiolentum furorem in me unum effunderet, meq. cum elicere uellet ad caedis causam, tum tentaret insidijs: quem ego ructantem, & naufragam coseci in Caesaris Octauiani plagas. puer enim egregius praesidium sibi primum, & nobis, deinde summae reip. comparauit: qui nisi fuisset, Antonij reditus a Brudisio pestis patriae fuisset. quae deinceps acta sunt, scire te arbitror. sed redeamus ad illud, unde diuertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio. neque enim statui quid in tanta perturbatione habere potuisti. nunc hic dies aliam uitam affert, alios mores postulat, ut ait Terentius. quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, & quidem ad puppim. una nauis est iam honorum omnium: quam quidem, nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam prospero cursu; sed, quicumque uenti erunt, ars nostra certe non aberit. quid enim praestare aliud uirtus potest? Tu fac ut animo magnosis, & excelsis, cogitesq. omnem dignitatem tuam cum rep. coniuncta esse debere. P. Luccium mihi meum commendas; quem, quibuscumque rebus potero, diligenter tuebor. Hirrium quidem, & Pansam, collegas nostros, homines in consulatu reip. salutare, alieno sane tempore amisimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata; sed nondum omnino explicata; quam nos, si licebit, more nostro tuebimur: quamquam admodum sumus iam defatigati: sed N V L L A lassitudo impedire officium, & fidem debet. Verum haec haecenus. ab alijs te de me, quam a me ipso, malo cognoscere. De te audiebamus ea, quae maxime uellemus. De Cn. Minucio, quem tu quibusdam litteris ad caelum laudibus extulisti, rumores duriores erant. id quale sit, omnino quid istic agatur, facias me uelim certiore. Vale.

EXPLANATIO

LIBERALIBVS } XVI. Kal. Apr. qui dies Baccho dicatus erat. ALTERO uicesimo die, } die uicesimo secundo. nam, alter, secundum obtinet locum. quod ex antiquo lapide intelligitur, in Calinati reperto, in ruinis uillae.

MEMORIAE

SEX . VIGELLI . AQVINAT . QVI
ANN . ATTIGIT . CENTENS .
SET . ALTERVM . ET . NONAGENS .
PERPET . INOFFENSA . VALETVD .
EXEGIT . RELIQVOS . SEPTEM . ET . D . XIIX
DECVBVIT . ET . OCCVBVIT
NAT . LVD . SAECVL . VIII . OBIIT . SEQVENT .

Et Tacitus in dialogo de oratoribus tres aetates adolescentium oratorum designat, his uerbis: Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et xx. Caesar Dolabellam, altero & xx. Asinius Pollio Carbonem,

tonem non multo aetate antecedens Caluus Vatinius ijs orationibus infecuti sunt, quas hodieq. cum admiratione legimus. **NON imita Minerva.** } feliciter iocatur autem in nomine Mineruae: quod ea sibi fuerit, quia sit in eum locum senatus decreto restituta unde eam turbo deiecerat ep. 1. lib. III. **MINERVA nostra.** } Mineruae cognomen, *πολλὰς*. Plutarchus in Demosthene. Lucianus in Lagith. & Cicero simulacrum illud, *φύλαξ*, inscripserat. Dio. Vrbes autem ex Mineruae liberalitate processisse, Aristides auctor est. **DEIECERAT,** } quod Ciceroni mortem portendit. Dio, Obsequens in lib. de prodigijs. **PANSA** } consul. **GAUDIO** } bonorum. **MINOTAVRI,** } Caluifium significat contumelioso uerbo. **IDEST Clauisii, & Tauri.** } delendum hoc arbitror, ut glossema. **ILLI** } legati duo Clauisij, qui erant in Africa. **NOTARENTVR** } quod prouinciam administrare uellent absentis Clauisij nomine: in quo dignitas Cornificij laedebatur, infra de Clauisio: Prouinciam absens obtinebat. **AD. XIII. Kal. Ian.** } ep. 22. & lib. XI. ep. 6. Phil. 14. **OBTINENDIS** } ab iisdem, qui obtinerent. ep. 22. **LABEFACTARE** } debilitare, frangere. **EVM,** } Clauisium. **ABSENS obinebat,** } per legatos: cum ipse ad urbem esset cum imperio. reuertit autem in urbem, deposito imperio. uide ep. 30. **COMPELLATIONES** } crebras appellationes uehementioribus uerbis: cum eum Cicero, crebro compellans, in urbem reuocaret. **CONVICIO** } conuicius fuit compellatio quotidiana. ep. 26. lib. XVI. **PURGAS:** } quod meis litteris non obtemperaueris. ep. 22. **QVODDAM caecum tempus seruitutis.** } in quo non eluceret honestum, in quo homines recta non uiderent: ut facile tamquam in tenebris, errarent, ac laborerent. Hanc ego ueram esse huius loci sententiam arbitror: eaq. duorum ueterum librorum testimonio comprobatur. In alijs pro, Caecum, legitur Graecum: quod mendosum puto. Sunt qui ex ingenio, Egregium, legendum existiment. ex quo quatenus elici apta ad hunc locum sententia possit, non equidem intelligo. In alijs, Gratum, mendose. **TVORVM consiliorum auctor** } auctor, ut optime de rep. sentires. **RAPIEBAR** } post Caesaris necem, uexata ab Antonio consule rep. ep. 1. lib. X. Phil. 1. Off. lib. 1. Rapiebar, summam uoluntatem discedendi ex Italia demonstrat. Discessit autem ea mente, ut adesset. Kal. Ian. quo die noui consules, Hirtius, & Pansa senatum habituri erant. **ET ESTAE** } uenti euntibus in Graeciam secundi, in Italiam aduersi. uide ep. 15. lib. 2. **PROSEQUI noluerunt:** } cum spirare per XL. dies perpetuo, & adiuuare cursum nauigantium ex Italia in Graeciam soleant. **AVSTERQ. aduersus maximo statu** } ep. 6. lib. XVI. ad Att. Reiectus sum austro uehementi ad eandem Leucopetram. **TRIBVLES tuos** } Rhegenses, legis Iuliae beneficio ciuitatem Romanam adepti, suffragium in tribu Attici ferebant. **RHEGIVM** } non Rhegium, sed agri Rhegini promontorium Leucopetram: ut ex Phil. 1. cognoscitur. **VENTIS, remisq.** } Phil. 1. Tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque uenti satisfacerent. **POSTTRIDIE Q.** } IV. non. Sept. nam in patriam Kal. Sept. peruenit. quo die uocatus in senatum ab Antonio consule, non iuit. posttridie autem, absente Antonio, uenit in senatum, & Philippicam primam habuit: de qua loquitur, cum hic subiungit: Sic sum in Antonium inuectus, ut ille non ferret. Et Phil. 5. Veni posttridie: ipse non uenit. locutus sum de rep. minus etiam libere, quam mea consuetudo, liberius tamen, quam pericula, minaeq. postulabant. **IN Antonium** } absentem. **VT ille non ferret,** } inimicitias enim Ciceroni denunciauit. Phil. 5. **VINOLENTVM** } ideo subiungitur, Ructantem, & nauseantem. **EFFVNDERET,** } aperte, cum dixerit, Effunderet orationem Antonij significat: de qua in Phil. 5. In me absentem orationem ex ore impurissimo euomuit. **ELICERE uellet ad caedis causam,** } nam ad XIII. Kal. Oct. ideo Cicero ne Antonius adesse iussit in senatu, ut ab eo caedis initium faceret. quod Cicero suspicatus, in senatum non iuit. hoc dilucide narratur Phil. 5. & ep. 2. h. l. **INSIDIIS** } si me elicere non posset ad caedis causam: id est si ego in senatum non irem. caedem enim meam senatus primum occasione quaesiuisset, deinde. si ego in senatum non irem, insidias. **CONFECI in Caesaris Octauiani plagas.** } suam laudem cum Octauiano communicat. Confeci, inquit, ac perdidit Antonium, in Octauiani plagas, id est, ut Octauianus eum & ipse conficeret. Placeret tamen, ut olim, Conieci, pro Confeci, unius litterae mutatione: nam F ab I, si mascululae scribantur, ut olim, non admodum differt. **PVER egregius** } ep. 7. lib. XI. **ANTONII reditus a Brundisio** } ep. 23. & ad Att. ep. 7. lib. XVI. & Phil. 3. 4. 5. **IN tanta perturbacione** } quanta fuit uexata ab Antonio consule rep. **HIC dies aliam uitam assero,** } uerba Terentij in Andr. Quidam legunt, Haec dies: opinor, ut tempus potius, quam certus dies ostendatur. Mihi placet interpretatio, mutatio non placet: primum, ne dissentiam ab antiquis libris, qui consentiunt omnes in. Hic dies: quod etiam Donatus probat: deinde, quia dies uirili genere interdum tempus designat, itemq. muliebri certum diem. uide ep. 2. lib. 1. ne iterentur eadem. **CONSCENDO** } communem bonorum nauem, tu quoque, inquit, cum bonis omnibus conspira ad tuendam libertatem. **VT rectam teneamus** } ne naufragium reip. fiat. ep. 2. lib. 1. ad Q. fratrem: *ὁ δὲ τὰν ναῦν, & ἀπὸ τῆς θανάτου.* quod ab aliquo poeta sumptum, uidetur. Aristides: *ἐν ἰσθμῶσι δὲ τῆς ὁδοῦ τὰν ναῦν καταπόσει.* quod ita uertit Seneca lib. XII. epist. Neptunus, numquam hanc nauem, nisi rectam. Inde prouerbium. **QVID enim praestare aliud uirtus potest?** } non potest praestare uirtus, id quod maxime uellem, ut bonorum nauis prospero cursu feratur: hoc tamen potest, ne gubernatoris uigilantia, arteq. careat: quod certe non aberit. **CVM rep. coniunctam esse debere.** } non a paucorum potentia petendam. **P. LVCCIVM** } quis non uidet initium esse alterius epistolae cum infra de Pansa mortuo, supra de uiuo fiat mentio. De eodem Luceio ep. 30. **HIRTIVM,** } & **Pansam** } consules. **COLLEGAS nostros,** } in augurato. Phil. 7. **LIBERATA,** } uicto ad Mutinam Antonio. **NONVM omnino explicata:** } quia fugerant ex praedio Mutinensi notissimi latronum

tronum duces, ut ep. 14. lib. x. scripsit ad Plancum: integro Antonij equitatu, ut ep. 34. Si licebit, si aberit uis. interdum enim non licuerat, ep. 2. lib. x. C. N. Minucio, uel Cornificij legato, uel finitimam ei regionem administranti.

Argumentum ep. 26.

Heredes Turij commendat. Incertus annus.

Cicero S. D. Cornificio. 26.

Q. TURIVS, qui in Africa negotiatus est, uir bonus, & honestus, heredes fecit similes sui Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, C. Anneium, Q. Considium Gallum, L. Seruilium Postumum, C. Rubellinum. ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quam commendatione. tanta enim liberalitate se tua usos praedicabant, ut ijs plus a te tributum intelligerem, quam ego auderem te rogare. audebo tamen. scio enim, quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare a te peto, ut ad eam liberalitatem, quae sine meis litteris usus es, quam maximus his litteris cumulus accedat. Caput autem est meae commendationis, ne patiare Erotem. Turium, Q. Turij libertum, ut adhuc fecit, hereditatem Turianam auertere; ceterisque omnibus rebus habeas eos a me commendatissimos. magnam ex eorum splendore, & obseruantia capies uoluptatem. quod ut uelis, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EXPLANATIO

HONESTVS } ad honestatem familiae, non ad hominis mores, refertur. GRATIARVM actione eos magis egere, quam commendatione. } magis esse, cur tibi gratias agant, liberaliter iam a te tractati, quam quod tibi a me commendentur. LIBERALITATE } humanitate potius, quam largitione: ut ep. 7. lib. 1. Tua praestanti in eum liberalitate. EROTEM } nomen serui, quod in liberto remansit. SPLENDORE. } specie quadam tum ex rei familiaris copia, tum ex quadam liberalis animi significatione. ep. seq. & ep. 3. lib. 1. Ut summa seueritas cum humanitate iungatur. } Haec sunt illae uirtutes, quae specie dispares, prudentia iunguntur: ut ait Cicero in Oratore, inde sumitur ad laudandum egregia sententia. itaque cum Cicero M. Brutum in libro de perfecto oratore laudat, Quid, inquit, tam distans, quam a seueritate comitas? quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior? Lib. III. de Leg. Quid est elegantia tua dignius? cuius & uita, & oratio consecuta mihi uideretur difficillimam illam societatem grauitatis cum humanitate. Eodem pertinet, quod scripsit ad Q. fratrem ep. 1. lib. III. Quibus illerebus fortasse nimis lenis uideretur, nisi haec lenitas illam seueritatem tueretur. Et paullo post: Haec illius seueritas acerba uideretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Et ibidem, infra: Cyrus ille a Xenofonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperij; cuius summa grauitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur. Et in Catone: Erat in illo uiro comitate condita grauitas. Nec dissimile illud in Bruto: Sine arrogancia grauis esse uidebatur, & sine segnitie uerecundus. Hanc laudem in Pomponio Attico scriptor uenustissimus Nepos fuisse ostendit. Eius, inquit, comitas non sine seueritate erat, neque grauitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis uererentur, an amarent. Cicero etiam filius de quodam Bruttio, rhetore Latino, ep. 24. lib. XVI. Cuius, inquit, cum frugi, seueraq. est uita, tum etiam iucundissima conuictio. Eodem illud pertinet lib. 1. off. Ita probanda est mansuetudo, atque clementia, ut adhibeatur reip. causa seueritas, sine qua administrari ciuitas non potest. Tribuit hanc laudem Cicero L. Crasso lib. 1. de Orat. cum ait: Quo quidem in sermone multa diuinitus a tribus illis consularibus Cotta & commemorata, & deplorata dicebat: ut nihil incidisset postea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto ante uidissent. eo autem sermone confecto, tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut, cum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis; eaq. esset in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, ut dies inter eos curiae fuisse uideretur, conuiuium Tusculani. Idem de Catilina dixit in oratione pro Coelio: Cum tristibus seueris, cum remissis iucunde, cum senibus grauiter, cum iuuentute comiter. Nec dissimile illud pro Murena: Si illius comitatem, & facilitatem tuae grauirati, seueritatiq. asperseris. Quae collegimus more nostro, ut in pulcherrima sententia latini sermonis copia cognoscatur.

Argumentum ep. 27.

AVfidij, equitis Romani, Africana negotia commendat. Incertus annus.

Cicero

Cicero S. D. Cornificio. 27.

SEX. Aufidius & obseruantia, qua me colit, accedit ad proximos; & splendore equitis Romani nemini cedit. est autem ita temperatis, moderatisq. moribus, ut summa seueritas cum humanitate iungatur. cuius tibi negotia, quae sunt in Africa, ita commendo, ut maiore

studio, magis ne ex animo commendare non possim, pergratum mihi feceris, si de deis operam, ut is intelligat meas apud te litteras maximum pondus habuisse, hoc te uehementer, mi Cornificio, rogo. Vale.

EXPLANATIO

PROXIMOS; } propinqui, sunt sanguine coniuncti: proximi, coniunctiores, quam propinqui. Phil. 14. Consolesmur eorum proximos.

Argumentum ep. 28.

Cornificij consilium non probat, quia non animaduertat in quosdam Lilybaeo minantes: studium eius in reip. laudat: de omittenda gratiarum actione assentitur: addit de pecunia, & de rep. Hirtio, & Pansa cos.

Cicero S. D. Cornificio. 28.

ASSENTIOR tibi, eos, quos scribis Lilybaeo minari, istis poenas dare debuisse: sed metuisi, ut ais, ne nimis liber in ulciscendo uiderere. metuisi igitur, ne grauis ciuis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus uiderere. Quod societatem reip. conseruandae, tibi mecum a patre acceptam, renouas; gratum est: quae societas inter nos semper, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud, quod mihi tuo nomine gratias agendas non putas. nec enim id inter nos facere debemus. Senatus saepius pro dignitate tua appellaretur, si, absentibus consulis,

umquam, nisi ad rem nouam, cogeretur. itaque nec de H-S XX, nec de H-S DCC quidquam agi nunc per senatum potest. tibi autem ex s. c. imperadum, mutuumq. sumendum censeo. In reip. quid agatur, credo te ex eorum litteris cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. ego sum spe bona: consilio, cura, labore non desum: omnibus inimicis reip. esse me acerrimum hostem praemesero. res neque nunc difficili loco mihi uidetur esse, & fuisset facilissimo, si culpa a quibusdam abuisset. Vale.

EXPLANATIO

LILYBAEO; } tria Siciliae promontoria, Pelorus in Italiam spectans, Pachynum in Graeciam Lilybaeum in Africam. **T**VO nomine; } ob studia in te mea. **A**PPELLARETUR; } sic unus omnino uetus liber, & recte, quamquam & Appellaret, sententiam habet, sed, ut arbitror, minus aptam. potius enim pro alicuius dignitate senatus appellatur, quam appellat. **A**BSENTIBVS; } Mutinam profectis ad D. Brutum obsidione liberandum. **H-S XX;** } si, sestertium uiginti millia, interpretemur: sexcenti scutati erunt: exigua summa: itaque uereor, ne, uicies, melior sit interpretatio: id est, scutatorum sexaginta millia. **H-D DCC;** } unum & uiginti millia scutatorum. **T**IBI ex s. c. imperandum; } ut, quam tibi senatus imperandi potestatem dedit, ea utaris. **M**UTUVM sumendum; } ut milites alere possis. ep. 30. **Q**UIBUSDAM; } si haec epistola scripta est ante praelium Mutinense, notat eos, qui Antonij causam in senatu defendebant, ut Calenum, & alios: si post, Lepidum, & eos, qui Octavianum, caesis Hirtio & Pansa, in spem consulatus impulerant.

Argumentum ep. 29.

Commendat studiose L. Lamiae negotia; eumq. suspectum Cornificio, quasi cuidam S. C. contra dignitatem eius facto affuisset, excusat. Hirtio, & Pansa cos. uel eodem anno post eorum interitum.

Rrr 2 Cicero

NON modo tibi, cui omnia nostra notissima sunt, sed nemine in populo R. arbitror esse, cui si ignota ea familiaritas, quae mihi cum L. Lamia est. etenim magno theatro spectata est tum, cum est ab A. Gabinio cos. relegatus, quod libere, & fortiter salutem meam defendisset. nec ex eo amor inter nos natus est: sed, quod erat uetus, & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitauit. ad haec officia, uel merita potius, iucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. Non puto te iam expectare, quibus eum tibi uerbis commendem. causam enim tanti amoris intelligis. quae uerba desideret, ijs me omnibus usum putato. tantum uelim existimes, si negotia Lamiae, procuratores, libertos, familiam, quibuscumque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quam si ea tua

liberalitas permississet ad rem familiarem meam. nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamiae causa studiose omnia facturus sis. quamquam erat nobis dictum, te existimare, alicui s. c. quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse: qui omnino consulibus illis nunquam affuit scribendo. deinde omnia tum falsa s. c. deferebantur. nisi forte etiam illi Semproniano s. c. me censere affuisse, qui ne Romae quidem tum fui, ut de eo ad te scripsi re uereri. Sed haec haecenus. Te, mi Cornificio, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiae negotia, mea putes esse; curesque, ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut ualeas.

EXPLANATIO

L. LAMIA } Acliae gentis. uide ep. 16. lib. XI. **MAGNO theatro** } palam, ut in theatro. **RE-**
LEGATVS, } quo tempore princeps erat equestris ordinis: nunc autem senator, edilitate iam gesta.
ep. 16. lib. XI. & orat. pro Sextio. **SALVTEM meam** } a Clodio trib. pl. oppugnatam. **OFFICIA,**
uel merita potius, } ep. 17. lib. XI. **FAMILIAM,** } seruos. ep. 3. lib. I. **OMNIA tum falsa S. C. de-**
ferebantur. } Antonio, ut opinor, & Dolabella cos. uide ep. I. **SEMPRONIANO S. C.** } Sempronij
causa facta. ep. 25. **NE Romae quidem tum fui,** } discessit, ut in Graeciam iret, desperata libertate. ep. 25.
AD te scripsi } significat eam partem ep. 25. in qua scripsit illa: Ego, tuorum consiliorum auctor, &c.

Argumentum ep. ult.

PUrgat se Cornificio, officium litterarum requirenti. scribit de bello Antoniano renouato: de suo studio in amicitia colenda, de angustijs pecuniae publicae, de Dionysio, Luceio, & Caluisij legatis. Post obitum Hirtij, & Pansae.

ITA ne praeter litigatores, nemo ad te meas litteras? multae istae quidem. tu enim perfecisti, ut nemo sine litteris meis tibi se commendatum putaret. sed quis unquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi iucundius, quam cum coram tecum loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere litteras? illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. non enim te epistolis, sed uoluminibus lacefferem, quibus quidem me a te prouocari oporteret. quamuis enim occupatus sis, otij tamen plus habes: aut, si ne tu quidem uacas, noli impudens esse, nec mihi molesti iam exhibere, & a me litteras crebriores, cum tu mihi rara s mittas, flagitare. nam cum antea distinebar maximis occupationibus; propterea quod omnibus curis temp. mihi tuendam putabam: tum hoc tempore multo distineor uehementius. **U**T enim grauius aegrotant ij, qui, cum lenati morbo uiderentur, in eum deinceps incidunt: sic uehementius nos laboramus, qui,

profligato bello, ac paene sublato, renouatum bellum gerere conamur. Sed haec haecenus. Tu tibi, mi Cornificio, fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te uinci possim aut officijs, aut amore. non dubitabam equidem: uerumtamen multo mihi notio rem amorem tuum effecit Cicerippus. o hominem semper illum quidem mihi aptum, nunc uero etiam suauem. uultus mebercule tuos mihi expressit omnes; non solum animum, ac uerba pertulit. itaque noli uereri, ne tibi succensuerim, quod eodem exemplo ad me, quo ad ceteros, requisui equidem proprias ad me uim a te litteras, sed neque uehementer, & amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere, & fecisse dico, nihil sane possum tibi opitulari: propterea quod & oribus senatus, consulibus amissis; & incredibiles angustiae pecuniae publicae: quae conquiruntur undique, ut optime meritis militibus promissa soluantur: quod quidem fieri sine tributo posse non arbitror. De Actio Dionysio nihil puto esse, quoniam mihi nihil dixit Seruati-

rins. De P. Luceio, nihil tibi concedo, quo studiosior eius sis, quam ego sum. est enim nobis necessarius. sed, a magistris cum contenderem de proferendo die, probauerunt mihi, sese, quo minus id facerent, & compromisso, & iureiurando impediri. quare ueniendum arbitror Luceio. quamquam, si meis litteris obtemperauit, cum tu haec leges, illum Romae esse oportebit. Ceteris de rebus, maximeq. de pecunia, cum Pansa mortem ignorares, scripsisti quae per nos ab eo consequi te posse arbitrabere. quae te non sefellissent, si uiueret. nam

te diligebat. post mortem autem eius quid fieri posset, non uidebamus. De Venuleio, Latino, Horatio, ualde laudo. illud non nimium probo, quod scribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis licitores admississe. honore enim cum ignominia dignis non erant comparandi: eosq. ex S. C. si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo. Haec fere ad eas litteras, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo, uelim tibi persuadeas, non esse mihi meam dignitatem tua caviorem. Vale.

EXPLANATIO

MULTAE istae quidem.} uel si uerum sit, quod scribis, neminem ad te, praeter litigatores, meas litteras afferre: multae tamen haec sunt. **VOLUMINIBVS**} paucae enim epistolae uolumina sunt ep. 7. lib. III. **VACAS**,} otium habes. ep. 3. lib. IIX. **NEC mihi molestiam exhibere**,} Etsi, Nec, a uerbo Noli pendeat: sententia tamen propter duas negationes ad affirmationem non traducitur, sed uim retinet negandi: quod usitatum non modo Cicroni, sed alijs etiam animaduerti. ep. 15, lib. VII. ad Att. Plerique negant, Caesarem in conditione mansurum; postulataq. haec ab eo interposita esse, quo minus, quod opus esset ad bellum, a nobis pararetur. Quo loco ex uerbo, Negant, elicitur primum negatio, deinde affirmatio: ut negatio referatur ad, Caesarem in conditione mansuram: affirmatio ad, Postulata interposita esse. Sic lib. III. de Orat. Nemo extulit eum uerbis, qui ita dixisset, ut, qui adessent, intelligeret quid diceret; sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset. Pro Roscio com. Aduersaria in iudicium protulit nemo: codicem protulit. lib. III. bel. ci. L. Straberius obsides ab Apolloniatis} exigere coepit. illi uero daturos se negare; neque portas consuli praeclusuros. Horatius Sat. 1.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi fortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa

Contentus uiuat: laudet diuersa sequentes. nam uerbum, Laudet, non respicit Nemo, sed inclusam in Nemo affirmationem. Et infra, in eadem Sat. **VT ENIM grauius aegrotant ij**,} ep. 12. lib. XVI. Graues solent offensiones esse ex grauib. morbis. **LABORAMVS**,} non discessit a uerbo, Morbis accommodato. **PROFLIGATO bello, ac paene sublato**,} Profligare quid hic fit, intelliget, qui legerit ea, quae diximus ep. 6. lib. IIX. **RENOVATVM bellum**} Lepidi scelere, qui Antonium, pugna Mutinensi fractum, inermem, fugientem recepit, & auxilio exercitus sui confirmauit. ep. 8. 10. **MIHI aptum**,} accommodatum naturae meae. **NOLI uereri**,} uereri se, scripserat Cornificius. **DE sumptu**,} de quo ep. 28. **IN rem militarem facere**,} impensam facere, ep. 2. lib. XIV. **CONSULIBVS amissis**,} Hirtio, & Pansa. ep. 23. **NIHIL sane possum tibi opitulari**:} idem scripsit ep. 28. **OPTIME meritis**} bello Mutinensi. uide Phil. 14. **INCREDIBILES angustiae pecuniae publicae**:} & ad M. Brutum: Maximus in rep. nodus est, inopia rei pecuniariae. **TRIBUTO**} quod impositum populo non erat post deuictam ab Aemilio Paulo Macedoniam. lib. 2. off. Plutarchus in Paulli uita. in epistola uero ad M. Brutum, Obdurescunt magis quotidie boni uiri ad uocem tributi: quod ex centesima collatum, impudenti censu locupletum, in duarum legionum praemijs omne consumitur. **DE ATTIO Dionysio**} si est idem, de quo in ep. 24. Attico legi malim, quam Attio: ut ab Attico & cognomen, & nomen acceperit, quod etiam Corrado placuit. ep. 15. lib. IV. ad Att. **DE P. Luceio**,} ep. 26. **MAGISTRIS**} auctiorum. **DIE**,} auctiorum. **VENULEIO, Latino, Horatio**,} legatis C. Caluicij, per quos Africam provinciam absens obtinebat. ep. 25. **VALDE laudo**.} quod licitores illis ademeris. **HONORE**} digni. **IGNOMINIA dignis**} Dignus tam in malam, quam in bonam partem accipitur. lib. I. de Fin. Dignus odio. Terentius in Eun. Contumelia digna sum.





IN . EPISTOLARVM

M . TVLLII . CICERONIS

EX P T I O Q V A E

F A M I L I A R E S

V O C A N T V R

LIBRVM . TERTIVMDECIMVM

AD . MEMMIVM . ET . ALIOS

P A V L L I . M A N V T I I

COMMENTARIVS



Argumentum ep.I. lib.XIII.



XVLBAT C. Memmius, de ambitu biennio ante damnatus, accusante Q. Curtio. quod ex ep. 2. lib. III. ad Q. fr. cognoscitur. Eum Cicero, ad Ciliciae administrationem proficiscens, cum Athenis non reperisset, (nam pridie Mitylenas profectus erat) petijt ab eo per litteras, ut rediret in gratiam cum Patrone Epicureo, eiq. locum, ubi habitauerat Epicurus, concederet. Ser. Sulpicio Rufo, M. Claudio Marcello cos.

Cum haec epistola ceteris omnibus commendaticijs, quae in hoc libro continentur, ordine, & subtilitate antecellat; utpote quam ipse Cicero in quadam ad Atticum epistola, scriptam accurate, fateatur; gratam studiosis operam nos esse nauaturos existimauimus, si, distributo in partes argumento, quid artificij singulae partes habeant, quid in singulis animaduerti, cognoscij. expediat, ostenderemus.

Acturus cum C. Memmio de parietinis Epicuri, philosopho Epicureo Patroni concedendis, oratorio more, prius quam aggrediatur, eius gratiam, & beneuolentiam insinuatione quadam aucupatur. Quae uero ad conciliandam bene-

bene-